LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS.

06 8 '14

# DE ACHILLIS TATII AETATE.

ACCEDIT COROLLARIUM

DE ACHILLIS TATII STUDIIS LUCIANEIS

Dissertatio inauguralis philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis ad summos in philosophia honores in universitate litterarum Viadrina Vratislaviensi rite impetrandos una cum thesibus die XX mensis Decembris anni MCMX hora XII in aula musica publice defendet

**Willy Lehmann**

Borussus

Adversarii erunt

M. Krueger, Dr. phil.
B. Jaekel, cand. phil.

**Vratislaviae**

MCMX

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit

Riccardus Foerster.

Examen rigorosum habitum est die XXVII mensis Iulii
anni MCMX.

PARENTIBUS OPTUMIS
SACRUM

# Prooemium.

Quemadmodum omnium fere scriptorum eroticorum Graecorum aetatem in tenebris iacere videmus, sic de Achillis Tatii temporibus qui quaesiverunt ad certum eventum nondum pervenerunt. Multis et variis argumentis a viris doctissimis collatis duae potissimum de Achillis Tatii aetate exstant sententiae: alii[1]) saeculum, quod Achillem protulerit, quintum esse credunt, alii[2]) eum quarto post Christum natum saeculo fabulam scripsisse contendunt. Omnes, qui Tatium in quintum saeculum referendum esse censent, eum Musaei poetae imitatorem existimant[3]), quem non ante medium quintum saeculum carmen de Hero et Leandro illis Nonni legibus metricis observatis panxisse dilucide explicatum ac probatum est[4]). At illa sententia, qua Tatius Musaei carmen imitandum sibi proposuisse

[1]) E. Rohde, Der griechische Roman und seine Vorläufer, Lps. 1900², p. 503. — W. Schmid, Pauly-Wissowa I 245--247. — Stravoskiadis, Achilles Tatius ein Nachahmer des Plato, Aristoteles, Plutarch und Aelian, Erlang. Diss., Athen 1889, p. 3. — Pietzko, De Aristaeneti epistulis, Diss. Vrat. 1907, p. 27. — Francesco Garin, Su i romanzi greci, Studi italiani, vol. 17 (1909) p. 459 sq.

[2]) Io. Schrader, Edit. Musaei, Lps. 1825, praef. p. XXVI. — Norden, Antike Kunstprosa, Lps. 1898, I p. 439 sqq. — Wilamowitz, Kultur der Gegenwart I 8, p. 185. — Boll, Philol. LXVI p. 15.

[3]) Cf. praeter Schmidium et Rohdium Iacobs, Edit. Ach. Tat., Lps. 1821, I, proleg. XIX. — Boden, Edit. Ach. Tat., Lps. 1776, praef. p. XII sq. — Stravoskiadis l. c. p. 9. — Garin l. c. p. 459. — Ludwich, Jahrb. f. Phil. 1886, p. 248.

[4]) Cf. Lud. Schwabe, De Musaeo Nonni imitatore, Tubingae 1876.

creditur, iam multis dubitationi obnoxia visa est[1]). Quicumque de Achillis Tatii aetate vult disceptare, e similitudinibus solis, quas inter Tatii fabulam et Musaei carmen exstare confitendum est, rectum quidem concludere iam poterit, certius autem efficiet, si summa cum diligentia respexerit, quae ratio intercedat inter Achillem et ceteros scriptores eroticos.

Operae pretium esse mihi videtur fabulas inter se comparare ac demonstrare, quo imitationis vinculo illarum auctores contineantur. Videre poterimus alterum alterius vestigia sequi ac res et sententias in longa auctorum serie amplificatas variari. Haec quaestio, ut hucusque a viris doctis parum tractata, ita necessaria est. Quam ob rem explicandum erit, qua ratione Musaeus poeta nonnullos locos apud fabularum Romanensium scriptores valde usitatos imitatione expresserit.

Atque primum quidem commemorabo, quatenus fabulatorum ordo secundum Rohdii aliorumque quaestiones constare videatur. Xenophontem Ephesium Heliodori exemplar fuisse probavit Schnepfius[2]), Heliodorum Tatio priorem iudicandum esse Neimkius[3]) demonstravit. Quorum auctorum Xenophontem exeunte secundo saeculo et tertii initio, Heliodorum tertio vixisse omnium recentiorum est opinio[4]). Longus Tatio prior esse vide-

---

[1]) Cf. Christ, Griech. Litteraturgesch. [4] p. 849 sq. — Norden l. c. — G. Pietsch, De Choricio Patrocli declamationis auctore, Diss. Vrat. 1910, theses 1 et 2.

[2]) Cf. Max Schnepf, De imitationis ratione, quae intercedit inter Heliodorum et Xenophontem Ephesium, Kempten 1887.

[3]) Neimke, Quaestiones Heliodoreae, Diss. Hal. 1889, p. 22 sqq. („De Achille Tatio Heliodori imatatore"); Garin l. l. p. 447—450. Atque Achillem Heliodoro plurima debere viderunt iam Photius bibl. cod. LXXXVII, Michael Psellus in iudicio de Heliodori et Achillis Tatii fabulis amatoriis (apud Iacobsium praef. p. CXI), Huetius, Traité de l'origine des romans, 6me éd. Paris 1685.

[4]) Garin p. 457 sq. Heliodorum inter annos 210—15 et 250 fabulam scripsisse demonstrat. — Obiter commemoro Suidam s. v. *Ἀχιλλεὺς Στάτιος* (sic) praeter *τὰ κατὰ Λευκίππην καὶ Κλειτοφῶντα* alia quoque scripta erotico nostro tribuere: *ἔγραψε δὲ καὶ περὶ σφαίρας καὶ ἐτυμολογίας καὶ ἱστορίαν σύμμικτον* . . ." Qua de causa fuerunt qui Achillem illum, Sphaerae scriptorem, cuius Firmicus Maternus Math. IV 10 mentionem facit, nostrum Achillem Tatium esse putarent et idcirco nostrum Firmico atque Heliodoro antiquiorem esse statuerent. Sed Suidam in hac re, ut qui homines eiusdem

tur[1]). Charitonem in fine huius ordinis ponendum esse Rohdius credidit, qui eum vix ante sexti saeculi initium vixisse statuit[2]). Quam falso hac in re vir doctissimus iudicaverit, fragmentum fabulae Charitonis in papyro secundi saeculi nuper repertum docuit. Ideo Charito est unus ex antiquissimis scriptoribus, quorum fabulas manibus tenemus. Notanda videntur etiam fragmenta narrationis, quae de Nino rege agit. Wilckenus[3]) qui primus edidit medio primo post Chr. n. saeculo illam fabulam compositam esse demonstravit[4]). Quibus fragmentis Rohdii de origine et compositione fabularum Romanensium sententias refelli hoc loco nolo exponere, sed relego ad Buergerum[5]), qui primis paginis commentationis eas res, in quibus Rohdius erravit, explicat; nam post Rohdii librum anno 1900 iterum editum compluribus fragmentis repertis fabularum Romanensium scientia nostra valde aucta est.

Hoc ordine fabulatorum eroticorum[6]) a viris doctis quodammodo ad liquidum perducto in Achillis Tatii aetatem diligenter inquirere mihi propositum est. Primum nostrum erit quaerere liceatne nobis terminum ante quem scripserit Achilles statuere. Itaque perlustrabimus eos auctores, quibus Achillem saepe exemplo fuisse apparet; quaeremus quae ratio intercedat inter Tatium et Aristaenetum; proferemus Musaei aliorumque

---

nominis confundere soleat, errasse cognitum est. Habemus etiam fragmentum Achillis cuiusdam in Isagoge ad Phaenomena Arati servatum. Sed neque apud Firmicum neque in hoc fragmento Tatii cognomen reperitur. Hic autem Sphaerae auctor non est scriptor fabulae eroticae.

1) Cf. Rohdius p. 535. Achillem Tatium e Longi fabula nonnulla sumpsisse comprobat Garin p. 437—440. Idem Longum in fine secundi saeculi vel potius ante medium tertium fabulam scripsisse putat p. 453—456 Reichii, De Alciphronis et Longi aetate, Diss. Regimont. 1894, argumenta confirmans; nam etiam secundum Garini (p. 454 sq.) sententiam Longus Alciphrone prior iudicandus est.

2) Cf. Rohdius p. 522.

3) Herm. XXVIII p. 161 sqq.

4) Fabulam fortasse etiam ante Chr. n. scriptam esse Wilckeno quidem (cf. p. 190. 192. 193.) probabile videtur.

5) Karl Buerger, Studien zur Geschichte des griechischen Romans, 2. Teil, Progr. Blankenburg a. Harz, Ostern 1903.

6) I. e. Nini fragmentorum, Charitonis, Xenophontis Ephesii, Heliodori, Longi, Achillis Tatii.

auctorum locos et erit quaerendum, utrum illi Tatio noti fuerint necne. Tum maximi erit momenti quaestio, quo tempore vixerint quos compilavit Tatius auctores.

---

## I.

## De auctoribus qui Achillem Tatium usurpaverunt.

Rohdius [1]) in Achillis Tatii aetate definienda de Musaei quoque tempore disputat, e cuius carmine de Hero et Leandro Tatium permulta hausisse contendit. Cum nemini dubium esse possit, quin Musaeus Nonnum, quinti saeculi ineuntis poetam [2]), imitatus sit, auctor Musaei vestigia secutus non ante medium saeculum quintum statuendus est; ad hoc igitur tempus Achilles referendus esset, si Musaeus eius exemplar fuisse recte iudicaretur. Sed post medium saeculum quintum Achillem scripsisse etiam Rohdius [3]) negat, quia Aristaenetum, epistularum eroticarum auctorem, in flosculis undique colligendis etiam e Tatio quaedam excerpsisse appareat; Aristaenetus autem e Rohdii quidem sententia quinto saeculo exeunte [4]) et sexto ineunte [5]), secundum alios medio saeculo quinto floruit. Nam Aristaeneti aetatem satis apertam et notam esse iam multi demonstraverunt [6]). Hic enim auctor (epist. I 26) Caramalli pantomimi, quem Sidonius Apollinaris (carm. XXIII 268 sqq. [7])) ut artificem aetatis suae laudat, in saltatricis cuiusdam arte praedicanda hisce verbis mentionem facit: *Ἕνα δὲ μόνον προσφυῶς μιμουμένῃ τὸν Καράμαλλον τὸν πάνυ ἁπάντων ἔχεις τὴν*

---

[1]) p. 502.

[2]) Cf. Ludwich, Mus. Rhenan. XLII 233 sqq.

[3]) p. 503.

[4]) p. 422.

[5]) p. 504.

[6]) Cf. Schrader, Edit. Musaei praef. p. XXV sq. — Dilthey, De Callimachi Cydippa, p. 165. — Pietzko l. c. p. 1.

[7]) „coram te Caramallus aut Phabaton
clausis faucibus et loquente gestu,
nutu, crure, genu, manu, rotatu,
toto in schemate vel semel latebit“.

μίμησιν ἀκριβῆ. E verbis τὸν πάνυ, quae significant „perfectum, praeclarissimum“, concludi posse mihi videtur Caramallum ab Aristaeneto commemoratum notissimum fuisse saltatorem atque eundem, quem Sidonius Apollinaris illo loco laudavit. Hoc ne Rohdium quidem fugisse videtur, qui de Aristaeneti aetate haec profert[1]: „*Der sog. Aristaenetus muss ungefähr ein Zeitgenosse des Apollinaris Sidonius (c. 430—488) gewesen sein*“. E Caramalli mentione Aristaenetum medio saeculo quinto floruisse Pietzko conclusit.

Aristaeneti aetas illis quaestionibus satis recte definita quaerenti, quo tempore Achilles Tatius scripserit, prodesse potest. Itaque explicemus, quantopere Aristaenetus Achillis Tatii fabulam eroticam imitatione expresserit.

## Caput 1.

## De Aristaeneto Achillis Tatii imitatore.

De ratione inter Achillem Tatium et Aristaenetum intercedente iam multi disputaverunt. Schrader[2]) Achillem Aristaeneto priorem iudicavit, „qui non pauca sublegisse ipsi videtur“. Aristaenetum e Tatio multa cepisse Rohdius[3]) contendit et nonnullos horum scriptorum locos affert, quibus est mira convenientia. Tum Pietzko in dissertatione supra laudata[4]) imitationes quasdam addidit. Ego autem in Aristaeneti epistulis[5]) identidem perlegendis alia quoque inveni, quibus Rohdii et Pietzkonis exempla amplificare possim. Quamvis plures locos consensum quendam inter Aristaenetum et Tatium cum quadam veritatis specie exhibentes exstare Pietzko neget, tamen ea quae repperi proferam. Itaque omnes imitationes et ab illis duobus viris et a me inventas nunc explicabo, ut appareat quantopere epistularum auctor a scriptore erotico pendeat.

| | |
|---|---|
| 1. Ach. I 4,3: λευκὴ παρειά, τὸ λευκὸν ἐς μέσον ἐφοι- | Aristaen. I 1: ἐκείνη γὰρ ... λευκαὶ μὲν ἐπιμὶξ καὶ ὑπέ- |

[1]) p. 503 adn. 1.
[2]) Edit. Musaei praef. p. XXVI.
[3]) p. 503 adn. 1.
[4]) p. 27.
[5]) Editione Hercheriana Epistologr. gr., Paris. 1873, usus sum.

νίσσετο καὶ ἐμιμεῖτο πορφύραν . . .

ρυθροι παρειαί, καὶ ταύτῃ τὸ φαιδρὸν ἐκμιμοῦνται τῶν ῥόδων.

2.*[1]) Ach. I 4, 3: ὀφρὺς μέλαινα, τὸ μέλαν ἄκρατον.

Aristaen. I 1: ὀφρὺς δὲ μέλαινα, τὸ μέλαν ἄκρατον.

3. Ach. II 11, 2: περιδέραιον μὲν λίθων ποικίλων.

Aristaen. I 1: περίκειται μέντοι λιθοκόλλητον περιδέραιον.

4. Ach. V 27, 3: καὶ ἐγένετο ὅσα ὁ ἔρως ἤθελεν οὔτε στρωμνῆς δεηθέντων οὔτε ἄλλου τινὸς τῶν εἰς παρασκευὴν ἀφροδισίων. αὐτουργὸς γὰρ ὁ Ἔρως καὶ αὐτοσχέδιος σοφιστὴς καὶ πάντα τόπον αὐτῷ τιθέμενος μυστήριον.

Aristaen. I 2: θάλαμον αὐτοσχέδιον εὑρὼν ἀρκοῦντα τῇ χρείᾳ.

Ultimum Tatii locum Aristaenetus valde contractum expressit.

5. Ach. I 2, 3: ἔνθα πλάτανοι μὲν ἐπεφύκεσαν πολλαὶ καὶ πυκναί, παρέρρει δὲ ὕδωρ ψυχρόν τε καὶ διαυγές . .

Aristaen. I 3: ἡ δὲ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῇ πλατάνῳ ῥεῖ ὕδατος εὖ μάλα ψυχροῦ . . . καὶ διαφανοῦς τοσοῦτον ὥστε συνεπινηχομένων καὶ διὰ διαυγὲς ὑδάτιον διαπλεκομένων ἐπαφροδίτως ἀλλήλοις . .[2])

Hic non solum Tatium, sed etiam alium Aristaenetus imitatur, dico Platonem, qui in Phaedro p. 229 B: χαρίεντα inquit γοῦν καὶ καθαρὰ καὶ διαφανῆ τὰ ὑδάτια φαίνεται. p. 230 B: ἥ τε αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ μάλα ψυχροῦ ὕδατος. Hoc loco cum Platonem tum Achillem compilatum esse Abreschius (apud Boissonadium, Aristaen. p. 276) animadvertit. Praeter Platonem ad verbum fere exscriptum Aristaenetus verba respexit Achillis, qui descriptionem Platonicam voce διαυγές amplificat.

---

[1]) Imitationibus iam a Rohdio et a Pietzkone prolatis asteriscum * appono.

[2]) Lectionem Boissonadii sequor verba διὰ διαυγὲς ὑδάτιον quae ab Herchero deleta sunt exhibentis.

| | |
|---|---|
| 6. Ach. I 1, 6: *ὀχετηγός τις ἐγέγραπτο δίκελλαν κατέχων . . .* | Aristaen. I 3: *τοῦ γὰρ ὀχετηγοῦ κατὰ τάχος . . .* |

Mirum consensum esse puto, quod Achilles et Aristaenetus pratum pulchrum describentes ambo *ὀχετηγὸν* (Latine aquilegem) in eo colendo occupatum commemorant, quamquam uterque Homeri [1]) vestigia secutus est: Tatius Homeri vocabula *ἀμάρη* [2]) et *μά(δί-)κελλα* adhibens, Aristaenetus Homeri dictiones aliis verbis vertens [3]).

| | |
|---|---|
| 7. Ach. II 27, 3: *ἔδοξεν ἀποπειραθῆναι τῆς κόρης.* | Aristaen. I 4: *προσμίξωμεν καὶ πειρασώμεθα τῆς καλῆς.* |

Hic obiter commemoro Tatium ab Heliodoro VII 23: *σὺ δὲ μηδὲ ἀποπειραθῇς τὴν ἀρχὴν τῆς κόρης* pendere.

| | |
|---|---|
| 8.* Ach. V 23, 5: *ῥαπίζει με κατὰ κόρρης.* | Aristaen. I 4: *οἷος ἦν ἐπιρραπίζειν με κατὰ κόρρης.* |

Quae locutio apud Tatium non raro invenitur; II 24, 1: *τὴν Κλειὼ κατὰ κόρρης ὡς εἶχε ῥαπίζει.* VI 20, 1: *ῥαπίζει δὴ κατὰ κόρρης αὐτήν.* VII 3, 5: *παίει δὲ κατὰ κόρρης τις ἐκεῖνον.*

| | |
|---|---|
| 9. Ach. VIII 9, 14: *ἵνα μὴ κατάφωρος γένῃ.* | Aristaen. I 6: *πρὶν κατάφωρος γένῃ.* |
| 10. Ach. II 34, 5: *τὰς χεῖρας ὤρεγέ μοι μικρὸν ἔτι ἐμπνέων καὶ . . . τὴν ψυχὴν ἀφῆκε τῇ φονευσάσῃ περιπλεκόμενος δεξιᾷ.* | Aristaen. I 9: *ὀρέγει τὴν χεῖρα . . . λαβόμενος τῆς δεξιᾶς καὶ τοῖς ἐκείνης δακτύλοις τοὺς ἑαυτοῦ περιπλέξας.* |
| 11. Ach. VIII 12, 2: *ὤμοσεν ἡ Ῥοδῶπις καὶ ἤκουσεν ἡ Ἀφροδίτη.* | Aristaen. I 10: *εἶπεν ἡ παῖς, ἀκήκοεν Ἄρτεμις.* |

Apud Aristaenetum Cydippa Acontii malum suscipiens et

---

[1]) Il. XXI 257 sqq.:

*ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀνὴρ ὀχετηγὸς ἀπὸ κρήνης μελανύδρου*
*ἂμ φυτὰ καὶ κήπους ὕδατος ῥόον ἡγεμονεύῃ,*
*χερσὶ μάκελλαν ἔχων ἀμάρης ἐξ ἔχματα βάλλων.*

[2]) Ach. I 1, 6: *δίκελλαν κατέχων καὶ περὶ μίαν ἀμάραν κεκυφὼς καὶ ἀνοίγων τὴν ὁδὸν τῷ ῥεύματι.*

[3]) Aristaen. I 3: *τοῦ γὰρ ὀχετηγοῦ κατὰ τάχος ἐπὶ πρασιάς τε καὶ δένδρα τῇ σμινύῃ καθηγουμένου τὸ ῥεῦμα.*

titulum perlegens iusiurandum: *μὰ τὴν Ἄρτεμιν, Ἀκοντίῳ γαμοῦμαι* invita eloquitur. Talis iurisiurandi effectus apud Aristaenetum et apud Tatium eadem brevi ratione describitur. Rhodopis enim voluptates Venerias semper se fugituram esse iurat; iurantis verba ilico Venus offensa audit.

| | |
|---|---|
| 11. Ach. I 17, 3: *ἄλλο μὲν ἄλλου φυτὸν ἐρᾶν.* | Aristaen. I 10: *πίτυος τυχὸν ἠράσθη κυπάριττος ἢ ἄλλο φυτὸν ἑτέρου φυτοῦ;* |

De arborum amore Achilles I 15, 2 pluribus verbis agit; hunc autem locum Aristaeneto exemplo fuisse nemo negabit. Alius Tatii spoliator, Nicetas Eugenianus, eundem locum imitatus est IV 142: *ἐρᾷ δὲ φυτοῦ φυτὸν ἄλλο πολλάκις.*

| | |
|---|---|
| 12. Ach. I 9, 6: *θέλει γὰρ ἑκάστη τῶν παρθένων εἶναι καλὴ καὶ φιλουμένη χαίρει καὶ ἐπαινεῖ τῆς μαρτυρίας τὸν φιλοῦντα· κἂν μὴ φιλήσῃ τις αὐτήν, οὔπω πεπίστευκεν εἶναι καλή.* | Aristaen. I 11: *ἥσθη ταῖς μαρτυρίαις ... καὶ τότε πεπίστευκε τὸν νέον εἶναι καλόν· αὗται γὰρ ἑαυτὰς αἱ γυναῖκες τότε δὴ κρίνουσιν εἶναι καλάς, ὅταν ἰδών τις ἐπαινέσῃ, ἢ ὅταν ἐρασθῇ θαυμάσας.* |

His quidem locis conspicuum consensum inesse quis est qui neget? Aristaeneti autem verba ad illius epistulae argumentum minus quadrant; nam ancilla mulieri adulescentem amanti pulchritudinem amati describit, e quibus praeconiis mulier magnam laetitiam voluptatemque percipit. Tum demum iuvenem pulchrum esse credit, sicut mulieres — ut Aristaeneti verba exprimam — tum demum pulchras se putant, cum forma earum laudatur. Perspicuum est Aristaenetum Tatii sententiam non sine artificio expressisse et quasi obiter epistulae suae adiunxisse.

| | |
|---|---|
| 13.* Ach. V 25, 8: *εὐνοῦχε καὶ ἀνδρόγυνε καὶ κάλλους καλοῦ βάσκανε.* | Aristaen. I 11: *κάλλος γε καλόν, νὴ τὰς φίλας Ὥρας.* |

Hercher[1]) *καλοῦ* delens dicit: „*καλοῦ* dittographiam esse intellexit Iacobs". Contra Hercherum Rohdius[2]) *καλοῦ* reti-

[1]) Adnotat. crit. p. XXVII.
[2]) p. 503 adn. 1.

nendum esse contendit comparans Aristaeneti locum. Postea etiam Hercher[1]) Aristaeneti loco commotus illam vocem retineri voluisse videtur.

| | |
|---|---|
| 14.* Ach. V 21, 5: ἔκλαιεν ἐπιθεῖσά μου τοῖς στέρνοις τὴν κεφαλήν. | Aristaen. I 12: τοῖς δὲ στέρνοις τῆς καλῆς ἐπιθεὶς τὴν κεφαλήν. |
| 15. Ach. IV 17, 5: ἡ δὲ ᾐσχύνετο ἀκροωμένη καὶ ἠρυθρία. | Aristaen. I 13: ὁ τοίνυν Πολυκλῆς τοῦ παιδὸς ᾐσχύνθη τὴν νόσον ἀκούων καὶ τὸν Πανάκειον ἠρυθρία. |
| 16. Ach. I 6, 3: ἐπικουφίζει τῆς νόσου τὴν ἀκμήν. I 8, 11: ἐπικουφιεῖ δέ μοι τὸ γυμνάσιον τῆς ψυχῆς τὸ λυπούμενον. | Aristaen. I 16: ἅπας γὰρ δι' ὁτιοῦν ἀχθόμενος τὴν ψυχὴν τὸ λυποῦν ἐκλαλῶν ἐπικουφίζει τῆς ἀδημονίας τὸ βάρος. |

Ex ultimo loco Aristaeneti et imitandi et mutandi studium intelleges; haud aliter e sequentibus.

| | |
|---|---|
| 17. Ach. IV 8, 5: ἐρῶν γάρ τις εἰς ὅσον μὲν ἔχει τὴν ἐλπίδα τοῦ τυχεῖν ... | Aristaen. I 16: ἤρα τις ἀπόρρητον ἔχων τὸν πόθον· εἶτα τυχών ...[2]) |
| 18. Ach. I 8, 9: μὴ τὸ ἄνθος πρὸ καιροῦ τῆς ἥβης ἀπολέσῃς. | Aristaen. I 19: τῆς ἀκμῆς τὸ ἄνθος ἄωρον ἀποβαλοῦσα τοῖς πόνοις. |

Hoc quoque loco Aristaenetus non merum se praebet imitatorem Tatii, cuius verba vocabulo τὸ ἄνθος excepto similibus eiusdem significatus exprimit (πρὸ καιροῦ — ἄωρον, τῆς ἥβης — τῆς ἀκμῆς, ἀπολέσῃς — ἀποβαλοῦσα).

| | |
|---|---|
| 19.* Ach. II 9, 3: οὕτως ἀλλήλων προσεπίνομεν τὰ φιλήματα. | Aristaen. I 25: ὑπεφίλουν ἀλλήλους καταπίνοντες τὰ φιλήματα. |
| 20.* Ach. V 5, 5 (de Philomela): ὑφαίνει γὰρ πέπλον ἄγγελον καὶ μιμεῖται τὴν γλῶτταν ἡ χείρ. | Aristaen. I 26 (de Panareta mima): ἀντὶ χρωμάτων καὶ γλώττης χειρὶ πολυσήμῳ καὶ ποικίλοις ἤθεσι κεχρημένη. |

[1]) Epistologr. p. XXIII.

[2]) Hercher haec quidem verba omisit.

| | |
|---|---|
| 21. Ach. V 17, 3: *ἐλέησόν με γυνὴ γυναῖκα.* 22, 6: *δέομαί σου γυναικὸς γυνή.* | Aristaen. II 3: *ταῦτά μοι νόει καλῶς, ὦ γύναιον δηλαδὴ συμπαθὲς γυναικί.* |
| 22.* Ach. VI 1, 3: *τοιοῦτον Ἀχιλλέα ποτὲ ἐθεασάμην ἐν γραφῇ.* | Aristaen. II 5: *εἰ μὴ τοιοῦτος ἦν Ἀχιλλεύς, ὃν ἔμαθον ἐκ τῶν οἴκοι πινάκων . . .* |
| 23.* Ach. V 27, 1: *ὁρᾷς πῶς πηδᾷ καὶ πάλλει πυκνὸν παλμὸν ἀγωνίας γέμοντα καὶ ἐλπίδος . . . καὶ ἔοικεν ἱκετεύειν σε τῷ πηδήματι.* | Aristaen. II 5: *πυκνὰ παλλομένης ἐφάπτομαι τῆς καρδίας καὶ δεινῶς ἐκπηδᾷ καὶ φλέγεσθαί μοι δοκεῖ.* |

Etiam in allitteratione adhibenda, quae creberrime littera *π* consonanti apud rhetores efficitur, Aristaenetus exemplum suum secutus est. Cum Tatii verbis *ἱκετεύειν σε τῷ πηδήματι* Aristaeneti II 13: *τὴν ἐπὶ σοὶ διεκπηδῶσαν καρδίαν* comparaverim.

| | |
|---|---|
| 24. Ach. V 25, 8: *καὶ νέᾳ καὶ φιλούσῃ . . . καὶ καλῇ.* | Aristaen. II 7: *καλὴ γὰρ ἦν καὶ παρθένος.* |

25. Aristaenetus in sequentibus e Tatii longa de amoris natura digressione (II 36—38) vocabula quaedam sumpsit. Agit enim uterque de natura ac vi basiorum:

| | |
|---|---|
| Ach. II 37, 9: *τὸ δὲ ἆσθμα σὺν πνεύματι ἐρωτικῷ μέχρι τῶν τοῦ στόματος χέιλέων ἀναθορὸν συντυγχάνει πλανωμένῳ τῷ φιλήματι καὶ ζητοῦντι καταβῆναι κάτω· ἀναστρέφον δὲ σὺν τῷ ἄσθματι τὸ φίλημα καὶ μιχθὲν ἕπεται καὶ βάλλει τὴν καρδίαν. ἡ δὲ ταραχθεῖσα τῷ φιλήματι πάλλεται.* | Aristaen. II 7: . . . (*φιλήματα*) *μέμικται δὲ ἁπαλῷ μὲν ἱδρῶτι, θερμῷ δὲ καὶ πολλῷ τῷ τοῦ πνεύματος ῥεύματι· τὸ δὲ ἆσθμα πυκνόν·*[1]) *ἐγγὺς μὲν τοῦ στόματος ἡ καρδία, ἡ δὲ ψυχὴ τῶν θυρῶν· ἢν δὲ τὴν χεῖρα τῷ στέρνῳ προσαγάγῃς, ὄψει τὸ πήδημα.* |

Similia Aristaenetus II 19 de coitu animarum profert, quas osculis labrorum ipsas quoque coniungi explicat.

| | |
|---|---|
| 26. Ach. II 37, 10: *παίδων δὲ φιλήματα μὲν ἀπαίδευτα, περιπλοκαὶ δ' ἀμαθεῖς.* | Aristaen. II 7: *παρατρυγῶν παιδισκάριον ἄωρον καὶ τοῦ φιλήματος ἀμαθές.* |

[1]) Hercher quidem verba *τὸ δὲ ἆσθμα πυκνόν* non habet.

| | |
|---|---|
| 27. Ach. V 26, 8: *μὴ ἀτιμάσῃς τὸν ἔρωτα τὸν ἐμόν, δι' οὗ τὰ μέγιστα εὐτυχεῖς.* | Aristaen. II 7: *μὴ τοίνυν ἀτιμάσῃς ... τὸν ἐμόν τε καὶ σὸν δεσπότην Ἔρωτα.* |
| 28.* Ach. V 25, 6: *Ἔρωτος καὶ σὺ δοῦλος ὤν.* | Aristaen. II 7: *καὶ σὺ γὰρ ἐκείνῳ δουλεύεις.* |
| 29. Ach. II 37, 5: *κἂν μετρίως ἔχω πείρας* (scil. *τῶν ἀφροδισίων*). | Aristaen. II 7: *τῶν ἀφροδισίων ἱκανὴν ἔχουσα πεῖραν.* |
| 30.* Ach. I 1, 17: (*παρθένοι*) *μικρὸν ὑποκεχηνυῖαι τὸ στόμα.* | Aristaen. II 10: *ἡδὺ προσγελᾷ καὶ μικρὸν ὑποκέχηνε.* |
| 31. Ach. III 14, 3: *ὁ ἔλεος πολλάκις φιλίαν προξενεῖ.* | Aristaen. II 12: *ἔλεος ἔρωτός ἐστιν ἀρχή· ἐκ γὰρ ἐλέου τὰ πολλὰ φύεται πόθος.* |

Ex iis scriptoribus similia habentibus quos Boissonadius ad hunc Aristaeneti locum (pag. 685) affert Achilles Tatius praecipuus fons Aristaeneti fuisse videtur; nam ceteri alia utuntur forma enuntiati.

| | |
|---|---|
| 32. Ach. VIII 10, 2: *ταῦτα εἰπὼν καὶ τερατευσάμενος ... ἔφη* | Aristaen. II 18: *καὶ πολλὰ τερατευσάμενος ἐπηγγείλατο.* |

Frequens est usus vocabuli *τερατεύεσθαι* apud nostrum eroticum, quod significat „rem verbis exaggerare"; sic VI 11, 4: *ἐγὼ γάρ σου πρὸς αὐτὸν περὶ τοῦ κάλλους πολλὰ ἐτερατευσάμην.* 13, 2: *καὶ τερατευόμενος ὑπὲρ τὸν δελφῖνα.* Abreschius[1]) cum Aristaeneto Achillis verba III 18, 3 comparat: *ὁ δὲ ἄρχεται τερατεύεσθαι.* Equidem potius primum Tatii locum (VIII 10, 2) a me comparatum et VI 11, 4 exempla Aristaeneti fuisse iudicaverim.

| | |
|---|---|
| 33. Ach. VII 3, 6: *τῷ δὲ λόγῳ τὴν ψυχὴν ὥσπερ ὑπὸ μύωπος παταχθεὶς ἐγείρω.* | Aristaen. II 18 (de iuvene amore incenso): *ὥσπερ βοῦς μυωπισθεὶς ἐταράττετο.* |
| 34.* Ach. I 9, 3: *ἂν τύχωσι καὶ ῥήματος μόνον.* | Aristaen. II 20: *ἱκετεύετε μόνον ῥήματος τυχεῖν ἀξιοῦντες.* |

---

[1]) Apud Boiss. Aristaen. pag. 711.

| | |
|---|---|
| 35. Ach. II 36, 2: καὶ τὸ ῥόδον διὰ τοῦτο τῶν ἄλλων εὐμορφότερόν ἐστι φυτῶν ... | Aristaen. II 21: καὶ ὅσον τὸ ῥόδον φαιδρότερον τῆς ἄλλης πέφυκε πόας ... |

Hic quoque Aristaenetus Achillem imitatur; non enim solum verba Tatii verbis idem declarantibus expressit, sed etiam collocationem verborum paene non mutavit.

Hisce imitationibus allatis demonstratum esse puto Aristaenetum scrinia Achillis Tatii magis compilasse, quam Rohdius et Pietzko docuerint. Itaque Tatium ante Aristaenetum scripsisse haud incertum est. Sed quot annis vel decenniis prior fuerit ex hac re nondum concludi potest. Accuratius vero Tatii aetatem inde definire poterimus, quod etiam Musaei carmen multis in rebus fons fuit Aristaeneti[1]); spatium enim inter Tatii et Aristaeneti tempora maius fiet, si Tatium ante Musaeum fabulam composuisse probaverimus. Vertamus igitur nos ad alterum caput.

## Caput 2.
## Quae ratio intercedat inter Musaeum et Achillem Tatium.

1. Ac primum quidem ex iis locis quibus Achilles et Musaeus congruunt hos depromam:

| | |
|---|---|
| Ach. I 4, 4: ὡς δὲ εἶδον (scil. Λευκίππην), εὐθὺς ἀπωλώλειν· κάλλος γὰρ ὀξύτερον τιτρώσκει βέλους καὶ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἐς τὴν ψυχὴν καταρρεῖ· ὀφθαλμὸς γὰρ ὁδὸς ἐρωτικῷ τραύματι. | Mus. v. 92—95:<br>κάλλος γὰρ περίπυστον ἀμωμήτοιο γυναικός<br>ὀξύτερον μερόπεσσι πέλει πτερόεντος ὀιστοῦ.<br>ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστι· δι' ὀφθαλμοῖο πυλάων<br>κάλλος ὀλισθαίνει καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει. |

[1]) Cf. Schrader, ed. Mus. praef. XXV sq. — Dilthey, De Callimachi Cydippa, pag. 31. — Rohdius, pag. 503 adn. 2. — G. Knaack, Hero und Leander, Festgabe für Franz Susemihl, Lps. 1898, p. 55 adn. 2: „Der Versuch Klemms (Diss. Lips. 1889), die von Dilthey richtig beurteilten Übereinstimmungen des Aristaenetos .... mit Musaeus auf Kallimachos zurückzuführen, ist trotz Ehwalds Billigung vollständig verfehlt".

Consideremus rationem, qua apud eroticos scriptores amor exoriens effingatur. Primo visu amantes amore capiuntur. E prioribus Xenophontem Ephesium afferam, qui I 9, 7 amatam oculos amati alloquentem facit: *ὦ τὸ πρῶτον ἐνθέντες τῇ ἐμῇ κέντρον ψυχῇ, . . . καλῶς μοι διηκονήσατε καὶ τὸν ἔρωτα τὸν ἐμὸν καλῶς εἰς τὴν Ἁβροκόμου ψυχὴν ὡδηγήσατε.* Commemoranda sunt etiam verba I 3, 2 de Anthia: *ὅλοις μὲν καὶ ἀναπεπταμένοις τοῖς ὀφθαλμοῖς τὸ Ἁβροκόμου κάλλος εἰσρέον δεχομένη.* Heliodorus III 8 (p. 86, 25 Bekk.) de amore nascente haec dicit: *τεκμηριούτω δέ σοι τὸν λόγον, εἴπερ ἄλλο τι, καὶ ἡ τῶν ἐρώτων γένεσις, οἷς τὰ ὁρώμενα τὴν ἀρχὴν ἐνδίδωσι, καὶ οἷον ὑπήνεμα διὰ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ πάθη ταῖς ψυχαῖς εἰστοξεύονται.* Tatius ut semper hic quoque sententias priorum fabulatorum rebus novis dilatans de efficacitate oculorum exponit quae attuli. Tatium Heliodori locum ante oculos habuisse credit Neimkius[1]), qui omnes Tatii locos ex Heliodoro sumptos diligentissime collegit. De Musaei vero versibus cum Tatii loco consentientibus haec dicenda sunt:

Quid de congruentia illarum partium cogitem minime incertum mihi est; nam si considero illam sententiam Tatium iterum ac saepius proferre[2]) idque cum accuratione, quae subtili scientia rerum et assiduo studio et diligenti investigatione ac perscrutatione auctorum continetur, facere non possum quin Tatium ex aliis fontibus hausisse atque e Musaeo contendam. Teli quo cor vulneratur via oculus putatur[3]), neque absurde, ut mihi quidem videtur. Notanda est Tatii vox *καταρρεῖν*, qua utitur in omnibus huiusmodi explicationibus. Bollius[4]) has sententias ab Epicureorum disciplinis manare docuit[5]). Multa sunt testimonia, quibus appareat philosophos easdem sententias

---

[1]) l. c. pag. 48.

[2]) Cf. Ach. Tat. I 9, 4 sqq.; III 11; V 13, 3—4; V 19, 4; VI 6, 4; VI 7, 5.

[3]) Cf. iam Max. Tyr. or. XIX 2 (Hobein): *ἀρχὴ δὲ αὐτοῦ* (scil. *τοῦ ἔρωτος*) *ἄνθος σώματος ἐρχόμενον εἰς ὀφθαλμοὺς καὶ δι᾽ αὐτῶν ἐπὶ τὴν ψυχὴν ῥέον. ὁδοὶ γὰρ κάλλους οἱ ὀφθαλμοί.*

[4]) Philol. LXVI 15. [De eadem re Bollius nuperrime egit Philol. LXIX (1910) 174, quam commentationem ut inspicerem contigit, priusquam disputationem meam iam ad finem perductam prelis traderem.]

[5]) De Epicureorum rationibus et decretis confer Zellerum, Philosophie der Griechen, III [1] (1880) pag. 421 sq.

habuisse, de quibus Achilles disserit. „De vi oculorum deque videndi rationibus“ loquitur Gellius N. A. V 16, loquitur Macrobius Saturn. VII 14, 4[1]). De Epicuri optice verba facit Diogenes Laertius X § 46. 49 atque commemorat voces „εἴδωλα“, „ἀποῤῥοιαί“. Timagoras unus ex Epicureis non voce „εἴδωλα“, sed „ἀποῤῥοιαί“ in suis praeceptis usus esse dicitur[2]). Ego quidem Tatium (I 9, 4) etiam vocabulum *κάτοπτρον* in eodem orationis contextu ex Epicureorum praeceptis sumpsisse existimo[3]). Stravoskiadis[4]) iam Platonem, cuius exemplum Tatius plurimis in rebus sequatur, easdem habuisse sententias demonstravit; cum Tatii verbis comparavit quae Plato dicit Phaedr. 251 B: *δεξάμενος γὰρ τοῦ κάλλους τὴν ἀποῤῥοὴν διὰ τῶν ὀμμάτων ἐθερμάνθη.* 251 E: *ἰδοῦσα δὲ καὶ ἐποχετευσαμένη ἵμερον.*

His exemplis prolatis mihi dubium esse non videtur quin Tatius e philosophorum dictione plurima ceperit neque verisimile est eum Musaei vestigia esse secutum. E multis locis quibus Tatius hanc sententiam explicat Musaeus primum ad imitandum elegit I 4, 4, quia hoc loco Tatius universe de ea re loquitur[5]). Figura pulchritudinis quae *διὰ τῶν ὀφθαλμῶν εἰς τὴν ψυχὴν καταῤῥεῖ* apud Achillem V 13, 4 iteratur et pluribus verbis exponitur. Parum autem subtilia et leviter tractata sunt quae Musaeus habet in illis versibus.

Contenderit quis contra meas argumentationes Achillem Tatium Musaei versus imitari et praeterea philosophorum disciplinas sequi potuisse. Sed horum locorum Tatianorum cum dictione philosophorum consensus maior est quam ut Achillem illas sententias philosophorum et scriptorum eroticorum proprias e secundo fonte, poesi Nonniana, hausisse putari possit. Non Musaeus, sed Tatius ad philosophorum disciplinas usque redit. Musaei dictionem admodum poeticam esse concedendum est,

---

[1]) Cf. etiam Cic. de fin. I 6, 21. Lucret. IV 46 sqq. R. Foerster, Physiognomonici scriptores, vol. II: Sylloge locorum physiognomonicorum p. 275 passim.

[2]) Cf. Stobaeus, Floril. I p. 483, 1. 2 (Wachsmuth-Hense, Berol. 1884).

[3]) Cf. Stobaeus, Floril. I 14 et de imaginibus speculo repercussis Plut. de plac. phil. IV 14, 2.

[4]) l. c. pag. 16.

[5]) Imitatores imprimis primas partes operum quae imitanda sibi proposuerunt compilare solere satis scimus.

Tatii autem locos ad unum omnes summa doctrina redundare neminem fugit. Atque e locis ipsis inter sese comparatis uter prior scripserit concludere debemus. Achillis sententia est: perieram vulnere mortifero affectus; puellae enim forma celeriter sauciat et amoris vulnus per oculos infertur. Habemus igitur sententiam consentaneam et accurate expressam. Musaeus autem de vulnere a quo tota sententia tracta est nihil profert, sed dicit: puellae forma *ὀξύτερον* hominibus est quam sagitta; nihilo tamen setius, quamquam de vulnere non loquitur, pergit: oculus via est formae quae in cor penetrat. Ideo sententiam a Musaeo depravatam esse apparet[1]). Apud Achillem *ὀξύτερον* ad *εὐθὺς* optime quadrat. Tatii verba *διὰ τῶν ὀφθαλμῶν εἰς τὴν ψυχὴν καταρρεῖ* Musaeus ita imitatur, ut vocem *καταρρεῖν* a poetica dictione abhorrentem, quam „terminum technicum" apud philosophos usitatum appellaverim atque a Tatio semper usurpatam videmus, vocabulis *ὀλισθαίνει καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει* vertat et poeticam reddat, qua re repetitionem malam non effugit. Praeterea vox *ὀλισθαίνειν* ad „portas" (*πυλάων*) minus apta est. Sic videmus a poeta imitatore totam sententiam versu cogente in peius mutatam esse. Hac igitur re Musaeus in Achillis fabulae furto deprehenditur.

2. Ut Achillem alia exempla ac Musaeum secutum esse, Musaeum autem Tatii locos leviter tantum exscripsisse probem, alius quoque locus aptus est qui afferatur: auctores fabularum, cum vim pulchritudinis vel hominum animos casibus quibusdam perturbatos vel alias animorum commotiones describunt, enumerationes affectuum variorum adhibere amant[2]); eadem re utitur Musaeus v. 96 sqq.:

*εἷλε δέ μιν τότε θάμβος, ἀναιδείη, τρόμος, αἰδώς·*
*ἔτρεμε μὲν κραδίην, αἰδὼς δέ μιν εἶχεν ἁλῶναι,*
*θάμβεε δ' εἶδος ἄπιστον, ἔρως δ' ἀπενόσφισεν αἰδῶ,*

qui versus maximam similitudinem cum Tatii loco I 4, 5 ostendunt: *πάντα δέ με εἶχεν ὁμοῦ, ἔπαινος, ἔκπληξις, τρόμος, αἰδώς,*

[1]) [Bollium in ea commentatione, quae modo in lucem prodiit (Philol. LXIX p. 173), non aliter iudicare video.]

[2]) Cf. Reitzenstein, Hellenistische Wundererzählungen, Lpz. 1906, p. 96 sqq.

*ἀναίδεια· ἐπῄνουν τὸ μέγεθος, ἐκπεπλήγμην τὸ κάλλος, ἔτρεμον τὴν καρδίαν, ἔβλεπον ἀναιδῶς, ᾐδούμην ἁλῶναι.*

Sed temerarium mihi videtur ex illa similitudine statim id concludere, quod multos viros doctos iudicasse equidem video. Considerandum est Musaeum talem elocutionem non primum invenisse et qua ratione auctores fabularum priorum saeculorum hanc rem protulerint quaeramus.

Iam in Nini fragmento legimus A I 8 sqq.

. . . *ἐλπιδ* . . .
. . . *πολὺ καὶ ηενη*
. . . *ξιν αἰδὼς ᾳ[π]ε–*
. . . *ν θάρσος, ὁ δὲ*
. . . *ειν ἐβούλετο.*

deinde A V 1 sqq.: *τὸ δέος μεταξὺ* . . .
*καὶ ἐπιθυμίας καὶ* . . .
*αἰδοῦς θρασυνομέ* . . .
*τοῦ πάθους ἀποδε* . . .
*τῆς γνώμης ἐκν* . . .

Ista verba antiquissimae fabulae iam enumerationem sensuum maxime contrariorum praebere nemo erit qui neget. Idem usus rhetorum et sophistarum proprius apud posteriores fabulatores saepius invenitur, qua de re multis exemplis allatis egit Schnepfius pag. 39—41. Xenophon Ephesius haec habet 351, 8: *ἀναμίξασα πάντα, φθόνον, ζηλοτυπίαν, λύπην, φόβον.* 397, 19: *κατεῖχε δὲ αὐτοὺς πολλὰ ἅμα πάθη, ἡδονή, λύπη, φόβος, ἡ τῶν προτέρων μνήμη, τὸ τῶν μελλόντων δέος.* Locis a Schnepfio allatis tres addiderim: 367, 20: *θόρυβός τε πολὺς τῶν κατὰ τὴν οἰκίαν ἦν καὶ πάθη συμμιγῆ, οἰμωγή, φόβος, ἔκπληξις.* — 378, 7. — 388, 13. Talibus rebus frequenter et eodem fere simplici modo Xenophontem usum esse videmus. Apud Charitonem, quem post Xenophontem et posteriores scripsisse Schnepfius aliique perperam contendunt, eandem simplicitatem animadvertimus adeo, ut apud priores hanc rem simpliciter, apud posteriores amplius tractatam esse iudicare liceat. Legimus apud Charitonem 16, 13: *τὴν Καλλιρρόην κατελάμβανεν ὁμοῦ πάντα, φόβος, χαρά, λύπη, θαυμασμός, ἐλπίς, ἀπιστία.* — 58, 8: *ἦσαν ὁμοῦ εὐχαί, δάκρυα, στεναγμοί, παραμυθία, φόβος, θάρσος, ἀπόγνωσις, ἐλπίς.* Conferantur loci similes: 54, 16. — 80, 23. —

99, 14. — 115, 11. — 144, 27 [1]). Omnes eandem exilitatem Xenophontis propriam ostendunt. Heliodorus quamvis idem artificium minus frequenter adhibeat, tamen in his rebus parcius coacervandis priorum vestigiis insistit: dicit enim 23, 9: *ἡ δὲ ἅμα πάντα τὰ περιεστῶτα, ὡς εἰκός, ἐννοήσασα* e. q. s. Similem locutionem habet 36, 13. — 39, 17. — 51, 23. — 108, 3. — 126, 27. — 281, 18. — Longus talibus rebus vacat. Contra Achilles Tatius qui illo artificio saepissime utitur in variis sensibus enumerandis non solum non acquiescit, sed etiam latius explicat singulas partes. Qua in re, ut saepissime, se praestat imitatorem priorum, quippe quorum dictionem amplificare et variare studeat. Adnotandi sunt hi loci: 42, 15 (I 5, 4), quem iam commemoravi. — 66, 5: *πολλὰ ἦν τὰ τότε ὁπλίζοντά με θαρρεῖν, οἶνος, ἔρως, ἐλπίς, ἐρημία.* — 79, 32: *παντοδαπή τις ἦν· ἤχθετο, ᾐσχύνετο, ὠργίζετο· ἤχθετο μὲν πεφωραμένη, ᾐσχύνετο δὲ ὀνειδιζομένη, ὠργίζετο δὲ ἀπιστουμένη.* — 145, 33: *πάντα ἐγινόμην ὁμοῦ· ἀνεφλεγόμην, ὠχρίων, ἐθαύμαζον, ἠπίστουν, ἔχαιρον, ἠχθόμην.* — 151, 17: *ἐμεμέριστο πολλοῖς ἅμα τὴν ψυχήν, αἰδοῖ καὶ ὀργῇ καὶ ἔρωτι καὶ ζηλοτυπίᾳ· ᾐσχύνετο τὸν ἄνδρα, ὠργίζετο τοῖς γράμμασιν, ὁ Ἔρως ἐμάραινε τὴν ὀργήν, ἐξῆπτε τὸν ἔρωτα ἡ ζηλοτυπία, καὶ τέλος ἐκράτησεν ὁ ἔρως.* — 173, 1: *ταῦτ᾽ ἀκούσας ὁ Θέρσανδρος παντοδαπὸς ἦν· ἤχθετο, ὠργίζετο, ἐβουλεύετο· ὠργίζετο μὲν ὡς ὑβρισμένος, ἤχθετο δὲ ὡς ἀποτυχών, ἐβουλεύετο δὲ ὡς ἐρῶν.* Achilles igitur a prioribus auctoribus aliquid discrepat, quod declarationem singulorum affectuum adiungit: *ᾐσχύνετο τὸν ἄνδρα, ὠργίζετο τοῖς γράμμασιν, ὁ ἔρως ἐμάραινε τὴν ὀργήν* e. q. s. Musaeus quoque uno tantum loco, v. 96 sqq., animi commotionem variis sensibus describit; fecit ergo idem, quod omnes fabulatores ante eum fecerunt, quorum enumerationes ei ignotae non fuerunt; versibus autem eius maxima convenientia est cum primo Tatii loco a me allato; ii quoque explicationem sensuum enumeratorum praebent.

Cognoscimus igitur, qua ratione tales affectuum compositiones iam apud scriptores eroticos adhibitae sint. Quae

[1]) Exempla a Schnepfio collecta tribus augere possum: 56, 31. — 71, 23. — 148, 9.

exempla Tatius secutus sit nemini dubium esse potest. Eroticorum scriptorum alter alterum non solum imitari, sed etiam superare studet. Achilles morem illarum enumerationum adhibendarum amplificat[1]; apud eum primum declarationes quaedam rerum enumeratarum sequuntur. Quid autem de Musaeo existimandum est? Hunc novitates quasdam inventionesve praebere prorsus negandum est, si consideramus, quanto cum studio flosculos e variis auctoribus praecipue e Nonno sumpserit, ut carmen eius iure „pro centone Nonniano“ habeatur[2]. Sin autem Tatii explicationes fusius expressae de quibus modo disserui novitas quaedam et huius potissimum proprietas habendae sunt, Musaeum autem illo uno loco quo similes res proferat eodem artificio a Tatio primo adhibito uti videmus, ego quidem non dubito quin Musaeus Tatii imitator fuerit.

Tatii verba verbis Musaei respondent: *ἔπαινος — θάμβος, τρόμος — τρόμος, αἰδώς — αἰδώς, ἀναίδεια — ἀναιδείη.* Poeta iis solum verbis uti potuit, quae ab hexametri metro non abhorrent. Haec verba eum ex Achille petivisse contenderim. Sed explicationes quoque quae enumerationem affectuum sequuntur e Tatii loco aut immutatas sumpsisse aut quae ad hexametrum non apte quadrent metro aptasse videtur. Verba „*ἔτρεμον τὴν καρδίαν*“ Musaeus idonea ad hexametri initium putavit. Sed pro *καρδία* forma vulgo „poetica“ nominata *κραδίην* metri causa usus est. Poetae autem utramque formam habent, prout metrum postulat. Sic Homerus formam *καρδίη* nisi versu ineunte, cum prima sequentis vocabuli littera vocalis est, non adhibet[3]. Idcirco Musaeum quoque verba apud Tatium invenisse et paululum mutata metri rationi accommodavisse existimo. „*αἰδὼς δέ μιν εἶχεν ἁλῶναι*“ eadem significant quae Tatii „*ἠδούμην ἁλῶναι*“. Etiam in his verbis Musaeum in imitatione Tatii deprehendo: ille toto loco sibi constare nequit, Tatius concinnam habet explicationem. Nam hic vocabula animi affectus significantia eodem verbo temporali exprimit — *ἐπῄνουν τὸ μέγεθος, ἐκπε-*

---

[1]) Cuius rei et Wyttenbachius (apud Iacobs. prol. p. XIV) et Passovius (apud Iacobs. prol. p. XVIII) mentionem faciunt.

[2]) Cf. Schwabe l. c. p. V.

[3]) Cf. Il. B 452: *καρδίῃ ἄλληκτον πολεμίζειν . . .*

*πλήγμην τὸ κάλλος* . . ., Musaeus vero metri necessitate coactus vocabula pluribus vocibus explicat. Itaque *αἰδὼς δέ μιν εἶχεν ἁλῶναι* auxilium malum est, cum „*αἰδώς*" iteretur. „*ἐκπεπλήγμην τὸ κάλλος*" cum Musaei „*θάμβεε δ' εἶδος ἄπιστον*" comparari potest. Tatius porro quinque habet vocabula, Musaeus quattuor. Si quis censet Tatium Musaei esse imitatorem, nescio an illam quintam vocem supervacaneam esse contendat. Ego autem Tatium in quinto verbo adhibendo subtilem et acutum disputatorem se praestare dixerim, quod ad contentionem contrariorum et diversorum affectuum evidenter spectat. *ἐπῄνουν τὸ μέγεθος, ἐκπεπλήγμην τὸ κάλλος* significant duos animi motus diversos: et magnitudinem laudabam et perturbabar pulchritudine puellae. *ἔτρεμον τὴν καρδίαν, ἔβλεπον ἀναιδῶς*: et tremebam angore confectus et impudenter spectabam. Nunc vero apud Tatium, ut ita dicam, summa vel caput totius loci quod significat et causam et finem sensuum repugnantium sequitur: *ἠδούμην ἁλῶναι*, quod pluribus verbis explanaverim: amore puellae ardere et volebam et nolebam. Sic apud Tatium partes totius sententiae meditatas esse cernimus. Sed illam distinctionem contrariorum apud Musaeum non ita accuratam invenimus. Nam poeta vult primum et secundum affectum significationes esse pavoris: *ἔτρεμε μὲν κραδίην, αἰδὼς δέ μιν εἶχεν ἁλῶναι*, tertium et quartum esse signa amoris nascentis et vincentis: *θάμβεε δ' εἶδος ἄπιστον, ἔρως δ' ἀπενόσφισεν αἰδῶ*. Tatii autem rationem accuratiorem et artis pleniorem esse crediderim neque dubium esse potest quin Achilles Tatius exemplar illius fuerit. Quantopere in explicatione sensuum Achilles eundem ordinem atque in enumeratione retineat clare apparet:

| | |
|---|---|
| 1. *ἔπαινος* | 1. *ἐπῄνουν τὸ μέγεθος* |
| 2. *ἔκπληξις* | 2. *ἐκπεπλήγμην τὸ κάλλος* |
| 3. *τρόμος* | 3. *ἔτρεμον τὴν καρδίαν* |
| 4. *αἰδώς* | 5. *ἠδούμην ἁλῶναι* |
| 5. *ἀναίδεια* | 4. *ἔβλεπον ἀναιδῶς.* |

Quarta tantum et quinta pars permutatae sunt, sed de industria puto, quia sententia: *ἠδούμην ἁλῶναι* sequentibus verbis Tatio continuanda est. Musaeus autem cohaerentiam partium dissolvere metro cogitur:

| | |
|---|---|
| 1. *θάμβος* | 3. *ἔτρεμε τὴν κραδίην* |
| 2. *ἀναιδείη* | 4. *αἰδὼς δέ μιν εἶχεν ἁλῶναι* |
| 3. *τρόμος* | 1. *θάμβεε δ᾽ εἶδος ἄπιστον* |
| 4. *αἰδώς* | 2. *ἔρως δ᾽ ἀπενόσφισεν αἰδῶ.* |

Quin etiam Musaeus impolitus praecipue in sequenti versu 99 mihi videtur:

*θαρσαλέως δ᾽ ὑπ᾽ ἔρωτος ἀναιδείην ἀγαπάζων,*

in quo iterum vocem *ἀναιδείη* explicat et verbum ipsum nominat, quamquam iam in antecedenti versu eandem sententiam elocutus est: *ἔρως δ᾽ ἀπενόσφισεν· αἰδῶ.* Qua de causa non multum abest quin ipsum quoque quinque partes sicut Tatium habere voluisse credam.

Apud Tatium igitur dictionis incorruptae integritatem, apud Musaeum imitationem cognoscimus.

3. Iam pergamus ad tertium locum. Apud Ach. II 6, 2 hic sermo inter amantes nascitur: *οὐκ ἔχων τί εἴπω „χαῖρε" ἔφην „δέσποινα". Ἡ δὲ μειδιάσασα γλυκὺ καὶ ἐμφανίσασα διὰ τοῦ γέλωτος ὅτι συνῆκε πῶς εἶπον τὸ ‚χαῖρε δέσποινα', εἶπεν „ἐγὼ σή; μὴ τοῦτ᾽ εἴπῃς". „Καὶ μὴν πέπρακέ μέ τίς σοι θεῶν, ὥσπερ καὶ τὸν Ἡρακλέα τῇ Ὀμφάλῃ". „Τὸν Ἑρμῆν λέγεις; τούτῳ τὴν πρᾶσιν ἐκέλευσεν ὁ Ζεύς", καὶ ἅμα ἐγέλασε. „Ποῖον Ἑρμῆν; τί ληρεῖς" εἶπον „εἰδυῖα σαφῶς ὃ λέγω;"* Maximam habent similitudinem cum hoc loco illi Musaei versus 148—152, quibus Leander in virgine sibi petenda eandem fabulam profert:

*σὸν δ᾽ ἐπέτην με κόμιζε καί, ἢν ἐθέλῃς, παρακοίτην,*
*τόν σοι Ἔρως ἤγρευσεν ἑοῖς βελέεσσι κιχήσας,*
*ὡς θρασὺν Ἡρακλῆα θοὸς χρυσόρραπις Ἑρμῆς*
*θητεύειν ἐκόμιζεν Ἰαρδανίῃ ποτὲ νύμφῃ.*
*σοὶ δέ με Κύπρις ἔπεμψε καὶ οὐ σοφὸς ἤγαγεν Ἑρμῆς.*

Hercules propter scelus Iphiti interfecti Omphalae, filiae Iardani Lydorum regis, ut servus servisse et paene effeminatus esse dicitur. Haec igitur fabula viri erga feminam oboedientiae exemplum est; sed hoc exemplum ad nostros amores inlustrandos estne idoneum? Hoc quaerendum erit [1]). Etsi confiteor fabulam apud utrumque scriptorem non ita apte adhibitam esse, tamen

---

[1]) De hac fabula notissima cf. Terent. Eun. 1025 sqq.; videmus hic quoque Achilli locum novae comoediae Atticae obversatum esse.

apud Tatium eam melius ceteris rebus intextam esse contendo. Neque enim Hercules Omphalae maritus erat, sed servus solum; serviliter heros ille praeclarus mulieri obtemperat. Pari modo Leander sicut *ἐπέτης* Heroni deditus esse vult! Apud Tatium illa narratio Clitophontis voce „*δέσποινα*“ quam dicit Satyri adhortatione commotus provocatur; illa igitur allocutio verbis Satyri II 4: *σὸν ἔργον ἤδη δέσποινάν τε καλεῖν* praeparata est. Huius sane verbi appellatione amator amatam salutat. Sed Leucippa se appellationem non intellegere simulat. Tum Clitophon: Atqui revera tu hera mea es; me tibi vendidit unus ex deis sicut Herculem Omphalae. Cupidinem nimirum in animo habet. Puella autem respondet: Dicisne Mercurium? nam is fecit Iove monente. Tum amator: Inepta dicis; nam scis quid sibi velint mea verba! Apud Tatium igitur hoc est „tertium comparationis“: deo auctore homines conducuntur; apud eum hi homines duo amantes sunt, in fabula de Hercule narrata non sunt amantes. Apud Musaeum autem oboedientia magis conspicua est. Quamquam eo quoque loco deus auctor nominatur, v. 149 sq.:

*τόν σοι Ἔρως ἤγρευσεν ἑοῖς βελέεσσι κιχήσας,*
*ὡς θρασὺν Ἡρακλῆα θοὸς χρυσόρραπις Ἑρμῆς.*

v. 152: *σοί δέ με Κύπρις ἔπεμψε καὶ οὐ σοφὸς ἤγαγεν Ἑρμῆς.*

Sed quid effecit Mercurius? v. 151:

*θητεύειν ἐκόμιζεν Ἰαρδανίῃ ποτὲ νύμφῃ.*

Hoc verbum adhibetur de eo qui operas dat mercennarias. Sed quid Leander tota oratione exprimere vult? Animum superbum ac durum puellae simulate repugnantis commovere conatur. Ad hanc rem exemplum Atalantae nuptias aspernantis quod Herculis fabulam sequitur aptissimum est; Omphalae autem narratione illa poetae sententia interrumpitur, nam solum deorum potentiae est argumento.

Fabella melius quadrat ad reliqua apud Tatium, quia uno verbo „*δέσποινα*“ provocata alacri dialogo sermonis longius producendi causa explicatur; sic Clitophon sermonem, id quod adulescens pudicus voluit, ordiri potest et inde „*περιπλέκει λόγους ἐκ λόγων*“. Quo pacto poeta imitatorem Achillis se praebet.

Unum praeterea adnotandum videtur, quod plerumque tantummodo servitium Herculis narratur; apud Musaeum et Achillem Mercurium Herculem Omphalae vendidisse legimus, id quod [Apollodorus] solus praebet bibl. II 6, 3: *Ἑρμῆς Ἡρακλέα πιπράσκει καὶ αὐτὸν ὠνεῖται Ὀμφάλη ἡ Ἰαρδάνου.* Achillem autem priorem Musaeo illa amplificatione usum esse ex ea quoque re mihi apparere videtur, quod Mercurium Iove iubente id fecisse fingit. Achilles e compendio mythologico plus hausit, Musaeus subtilem fabulae investigationem non ostendit.

4. Deinde notanda mihi videntur verba Melites apud Achillem V 16, 3: *πᾶς δὲ τόπος τοῖς ἐρῶσι θάλαμος· οὐδὲν γὰρ ἄβατον τῷ θεῷ. Θάλασσα δὲ μὴ καὶ οἰκειοτάτη ἐστὶν Ἔρωτι καὶ Ἀφροδισίοις μυστηρίοις; θυγάτηρ Ἀφροδίτη Θαλάσσης. Χαρισώμεθα τῇ γαμηλίῳ θεῷ, τιμήσωμεν αὐτῆς γάμῳ τὴν μητέρα.* Cum his sententiis illi Musaei versus comparari possunt, quibus Venerem filiam maris et reginam esse exponit, v. 248 sqq.:

*τί δὴ ῥοθίων ἀλεγίζεις;*
*ἀγνώσσεις, ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης,*
*καὶ κρατέει πόντοιο καὶ ἡμετέρων ὀδυνάων;*

item v. 320: *πολλάκι μὲν λιτάνευε θαλασσαίην Ἀφροδίτην.*

Apud utrumque forma interrogativa invenitur quamvis non in eodem sensu usurpata; apud utrumque amans ad Veneris gaudia fruenda incitat admonens Veneri rem esse cum mari.

5. Ach. Tat. II 14: *χρησμὸν ἴσχουσιν οἱ Βυζάντιοι τοιόνδε·*
*Νῆσός τις πόλις ἐστὶ φυτώνυμον αἷμα λαχοῦσα,*
*Ἰσθμὸν ὁμοῦ καὶ πορθμὸν ἐπ' ἠπείροιο φέρουσα.*
*Ἔνθ' Ἥφαιστος ἔχων χαίρει γλαυκῶπιν Ἀθήνην.*
*Κεῖθι θυηπολίην σε φέρειν κέλομαι Ἡρακλεῖ.*

Apud Musaeum v. 30 legimus:

*Ἡρὼ μὲν χαρίεσσα διοτρεφὲς αἷμα λαχοῦσα*
*Κύπριδος ἦν ἱέρεια, γάμων δ' ἀδίδακτος ἐοῦσα.*

Musaeus non solum eandem clausulam *αἷμα λαχοῦσα* habet, sed etiam, ut Achilles, duos versus cohaerentes extremis syllabis consonantes facit. Cum Musaeum Tatio posteriorem esse demonstraverim, illum hanc clausulam ex oraculo Tatiano

sumpsisse statuendum est. Obiter commemoro Nonnum hanc locutionem habere quidem, sed in versus fine non adhibere [1]).

6. Fabulatores Romanenses praecepta amoris fabulis inserere in deliciis habent et quosdam homines, nunc amicos nunc servos nunc senes amorum peritos, artem amandi docentes faciunt [2]). Invenimus apud Tatium nonnulla praecepta de amandi ratione data, quae apud Musaeum diligenter servata videmus, atque apud Tatium alteram quasi „artem amatoriam" reperies. Hac in re fieri non potest ut alter alterum non secutus sit; nam similitudo saepe manifesta est. Apud Tatium Clinias amicus in rebus amatoriis bene versatus Clitophonti in his peregrino I 9 sq. de puellarum amantium moribus verba faciens praecepta dat, quomodo se gerat in amore declarando. Similia sunt praecepta Satyri servi callidissimi II 4 sq. Musaeum quoque regulas quasdam de amore et de amantibus in carmine sane parvulo proferre admodum mirandum est neque quisquam dubitabit quin id fabulis Romanensibus debeat. Musaeus sententias a Tatio prolatas ita usurpavit, ut huius verborum veritas in ipsius versibus appareat, et quasdam res, quae in carmine geruntur, praeceptis Tatianis accommodavisse videtur [3]). Conferam igitur quae mihi videntur notanda.

Puellae conspectus et oculorum coniectus vim habet maximam. Mulier cuius pulchritudo a iuvene amante praedicatur ad amorem ac propensam voluntatem inducitur:

Ach. I 9, 5 sq. $\backsim$ Mus. 103 sqq. 159. 174 sqq.

Amator audacem fidentem impavidum se praebeat; puella non aliter se geret; ipsa quoque audacter amabit, nam *τὸ συνειδὸς τοῦ φιλεῖσθαι τίκτει πολλάκις ἀντέρωτα*:

Ach. I 9, 6 sq. $\backsim$ Mus. 99. 104 sqq.

Clitophon petit, ut Veneris sacris et mysteriis initietur a Clinia, qui est *ἀρχαιότερος μύστης . . . καὶ συνηθέστερος ἤδη*

---

[1]) Cf. Nonn. Dion. 1, 393. 3, 361. 10, 209. 16, 170. 22, 391. 36, 252. 46, 42. 47, 598.

[2]) Vid. Ach. Tat. I 9. I 10. II 4. II 10. V 26. Long. II 7. II 8. III 14. III 17, 2 sq. III 18, 3 sq. III 19. Cf. Fr. Wilhelm, Zu Tibullus (I 4), Satura Viadrina, Breslau 1896, p. 51 sqq.

[3]) [Idem sentit Bollius Philol. LXIX p. 173 aliquot exemplis prolatis.]

τῇ τελετῇ τοῦ θεοῦ. Leander Heronem sacerdotem Veneris orat, ut in sacra et arcana deae recipiatur:

Ach. I 9, 7 ∾ Mus. 141 sq.

Ex amoris declaratione puellae pudore afficiuntur et erubescunt:

Ach. I 10, 3 ∾ Mus. 160 sqq. 194 sq.

Virgini vultus nutusque ad omnia intellegenda sufficit:

Ach. I 10, 4 ∾ Mus. 104—108.

Puella ipsa eloqui non vult quae cupiat:

Ach. I 10, 4 ∾ Mus. 166 sq.

Amore nutibus et vultibus declarato amator taceat, sine voce gemitum edat, cervicibus puellae simulate minitantis savia imprimat:

Ach. I 10, 5 ∾ Mus. 112. 115. 133.

Puellae vim sibi inferri simulantes fictis et simulatis minis utuntur:

Ach. I 10, 6 ∾ Mus. 116. 121. 122-128. 129 sqq.

Amator manum puellae tangat ac tangens ingemiscat:

Ach. II 4, 4 ∾ Mus. 114 sq.

Puellae „δέσποινα" vocatae se deditum fore amator spondeat:

Ach. II 4, 4 ∾ Mus. 148.

Amans audacter in proelium Amoris prodeat; Amor enim militantes sub signis suis adiuvat:

Ach. II 4, 5 ∾ Mus. 197—200.

Iam postquam Achillem ante Aristaenetum et Musaeum scripsisse ostendi, ad Achillis Tatii aetatem exactius definiendam multa conferet quaestio, quae ratio intercedat inter Achillem et quarti saeculi rhetores, dico Themistium, Libanium, Himerium, Synesium, Gregorium Nazianzenum. Facile intellegi potest fabulam Achillis, quippe qui elegantiae stili quam maximae in omnibus rebus studuerit [1]), a scriptoribus cum eiusdem tum posterioris aetatis idoneam esse putatam ex qua singula haurirent. Afferre liceat verba Passovii [2]): „iam nemo facile mirabitur, si, quae cacozelia rhetoris et sophistae in totius operis (scil. Tatii) compositione non sine insigni eius detrimento

[1]) Cf. Rohdius p. 516: „Der ganze Roman wird dem Achilles zur Stylübung".

[2]) In encyclopaedia Erschii et Gruberi T. I p. 305 sqq., cuius verba Iacobsius quoque in prolegomenis editionis p. XV sqq. attulit.

dominatur, eandem etiam in singulis partibus deprehenderit. Vix alium quemquam praedicaveris scriptorem antiquitatis, qui elegantiae venustatisque studio Achillem superet, nec qui maiorem antithesium, imaginum, verborumque lusuum copiam coacervaverit; neque profecto multa fuerint apud eum huius generis, quae in reprehensionem incurrant, nisi totum hoc scribendi genus reprehensioni sit obnoxium. Quare vix est, quod dubites Tatium a suae aetatis hominibus pro perito ornate dicendi magistro fuisse habitum". De Nonno infra agam, si demonstravero, quid e locis illorum rhetorum cum Tatio comparatis concludere possimus. De illis quarti saeculi auctoribus haec quidem mihi proferenda sunt.

## Caput 3.

## De Synesio et Achille Tatio.

Passovius[1]) Achillem Synesii imitatorem iudicat, non aliter Stravoskiadis[2]), qui tota dissertatione nihil nisi Passovii et Iacobsii cum sententias tum collectiones locorum exscripsit et ut suas vendidit. Quibus causis Passovius ad hanc sententiam commotus sit non video, neque quisquam adhuc huius rei argumenta attulit. Itaque quaeramus, quid e locis quibusdam Synesii et Achillis comparatis efficiendum sit.

| | |
|---|---|
| 1. Ach. III 2, 8 in descriptione naufragii: *ἐρρόχθει τὸ κῦμα, ἐπάφλαζε τὸ πνεῦμα, ὀλολυγμὸς γυναικῶν, ἀλαλαγμὸς ἀνδρῶν ...* | Synes. epist. IV p. 164 C de tempestate verba faciens: *πρὸς τοῦτο αἴρεται θόρυβος ἐξ ἀρχῆς, ἀνδρῶν οἰμωγή, γυναικῶν ὀλολυγή.* |

Hanc convenientiam non fortuitam esse nemo negabit. Quem autem Achilles hoc loco imitatus sit, iam dudum cognitum est: Heliodorum cui plurima debet; is enim dicit III 5: *ὠλόλυξαν μὲν αἱ γυναῖκες, ἠλάλαξαν δὲ οἱ ἄνδρες.* Noster nihil nisi pro verbis temporalibus nomina ponit ac ne collocationem quidem verborum mutat:

---

[1]) Apud Iacobs., edit. prol. p. XIX.

[2]) „Achilles Tatius ein Nachahmer ..." p. 9.

| Heliod.: | Achilles: | Synes.: |
|---|---|---|
| 1. ὠλόλυξαν | 1. ὀλολυγμός | 4. ὀλολυγή |
| 2. γυναῖκες | 2. γυναικῶν | 3. γυναικῶν |
| 3. ἠλάλαξαν | 3. ἀλαλαγμός | 2. οἰμωγή |
| 4. ἄνδρες | 4. ἀνδρῶν | 1. ἀνδρῶν. |

Verbo ὀλολύζω clamor mulierum, voce ἀλαλάζω virorum vociferatio significari solet[1]. Inter has voces iam Xenophon distinxit Anab. IV 3, 19: ἐπαιάνιζον πάντες οἱ στρατιῶται καὶ ἀνηλάλαζον, συνωλόλυζον δὲ καὶ αἱ γυναῖκες ἅπασαι. Apud Synesium autem nihil nisi Achillis imitationem apparere ego quidem censeo. In spoliatione Achillis deprehenditur, quod omnia omnino repetere veritus collocationem verborum de industria commutat, praecipue autem quod pro ἀλαλαγμός Tatiano voce οἰμωγή utitur; qua re factum est, ut distinctionem subtilem cui Heliodorus et Achilles studuerunt deleret et exempli locum, id quod imitatores facere solent, imitando depravaret.

Huic loco mea quidem sententia quaedam vis inest, qua Achillem Synesio priorem esse demonstretur.

2. Afferam binos locos, qui quendam cum loco antecedenti conexum praebent, nam eos depromo ex eodem Achillis capite III 2 et eadem quarta Synesii epistula; hi quoque loci de naufragio agunt:

| | |
|---|---|
| a. Ach. III 2, 2: ἀντεβόμβει δὲ κάτωθεν τῶν κυμάτων ἡ στάσις. | Synes. ep. IV p. 166 C: ἡ δὲ στάσις ἤρξατο μὲν ἀπὸ τῶν ἀρκτικῶν πνευμάτων. p. 164 A: τοῦ πελάγους καὶ πρὸς ἑαυτὸ στασιάσαντος. |
| b. Ach. III 2, 3: οἱ δὲ κάλοι περὶ τὴν ὀθόνην πίπτουσιν, ἀντιπαταγοῦντες δὲ ἐτετρίγεσαν. | Synes. ep. IV p. 166 C: τὸ κέρας ἐτετρίγει. |

Respiciatur velim has coniunctiones verborum cum rarius inveniri tum non solum hos duos locos apud utrumque scrip-

[1] Cf. Κοραῆς, Comment. ad Heliod., Parisiis 1804, vol. II p. 121. — Wecklein ad Aeschyl. Sept. 254 sq. Agam. 28.

torem inter se coniunctos, sed etiam in eodem capite ac verba sub 1 allata ab utroque adhibitos esse. Hanc rem forte evenisse quis est qui dicat?

| | |
|---|---|
| 3. Ach. VI 7, 3: *ὁ δὲ Θέρσανδρος ἰδὼν πρὸς μὲν τὸ κάλλος ἐκεχήνει, πρὸς δὲ τὴν λύπην ἐξεμεμήνει . . .* | Synes. in Dione p. 53 D: *τὸ δὲ ἐγκείμενον αὐτῶν κάλλος ἠγάσθη καὶ εἰς αὐτὸ κέχηνε.* |

Videmus apud Synesium locutionem apud Tatium inventam nulla re cogente dissolutam esse; imitatorum autem est ex una sententia quam apud scriptorem legunt duas facere. Itaque hoc Synesii loco supervacaneam repetitionem legimus: *ἠγάσθη καὶ εἰς αὐτό κέχηνε.*

| | |
|---|---|
| 4. Ach. I 9, 5: *μέγιστον γάρ ἐστιν ἐφόδιον εἰς πειθὼ συνεχὴς πρὸς ἐρωμένην ὁμιλία. ὀφθαλμὸς γὰρ φιλίας πρόξενος καὶ τὸ σύνηθες τῆς κοινωνίας εἰς χάριν ἀνυσιμώτερον.* | Synes. ep. LVII p. 194 B: *ἡ πειθὼ δὲ ἕπεται καὶ ὁ λόγος ἀνυσιμώτατός ἐστι παρὰ τοῖς ἀκούουσιν.* |

Ne quis putet Achillem hanc locutionem e Synesio cepisse, afferam locum qui Achillis animo obversatus est Xenophontis Cyr. I 6, 22: *λέγεις σὺ . . . εἰς τὸ πειθομένους ἔχειν οὐδὲν εἶναι ἀνυσιμώτερον τοῦ φρονιμώτερον δοκεῖν τῶν ἀρχομένων.* Xenophontem multifariam Achillis fontem fuisse notum est; e Xenophonte sumpsit coniunctionem verbi *ἀνυσιμώτερον* cum praepositione *εἰς* qua Synesius caret; forma quoque comparativi *ἀνυσιμώτερον* apud Tatium legitur; sed pro forma *τὸ πειθομένους ἔχειν* breviore substantivo *πειθώ* usus est, quod etiam Synesius in suum textum recepit.

5. Fortasse verbum *παιδοτριβεῖν* de institutione amatoria adhibitum Synesius Achilli debet:

| | |
|---|---|
| Ach. II 4, 4 Clitophon Satyro servo, qui praecepta amoris dedit, dicit: *πιθανῶς μὲν . . . ἐς τὸ ἔργον παιδοτριβεῖς.* | Synes. ep. III p. 161 de lena: *τὰς ἐν ἡλικίᾳ παιδοτριβεῖ καὶ τοῖς ξένοις ἀντικαθίστησιν.* |

## Caput 4.

## De Gregorio Nazianzeno et Achille Tatio.

Satis erit hos tantum locos attulisse, e quibus uter prior scripserit fortasse concludi possit.

Primum quidem de descriptionibus pavonis agam, quas legimus apud Dionem Chrysostomum Or. XII, Lucianum de domo 11, Aelianum H. An. V 21, Achillem Tatium I 16, Gregorium Nazianzenum Or. XXVIII p. 514 E sq. Inter hos scriptores alium ab alio pendere solis luce clarius est[1]). Gregorii locum afferam aliorum locis idem vel similia praebentibus iuxta positis.

| | |
|---|---|
| Ael. H. An. V 21: *ἐπαινεθεὶς δὲ αἰσθάνεται.*<br>Ach. I 16, 2 sq.: *ὅταν γὰρ ἐπαγαγέσθαι θέλῃ τὴν ἐρωμένην, τότε οὕτως καλλωπίζεται. ὁρᾷς ἐκείνην τὴν τῆς πλατάνου πλησίον; δείξας θήλειαν ταών.* | Greg. Naz. Or. XXVIII p. 514 E: *πόθεν ταὼς ὁ ἀλαζὼν ὄρνις καὶ Μηδικός, οὕτω φιλόκαλος καὶ φιλότιμος ὥστε, καὶ γὰρ αἰσθάνεται τοῦ οἰκείου κάλλους, ὅταν ἴδῃ τινὰ πλησιάζοντα ἢ ταῖς θηλείαις, ὥς φασι, καλλωπίζεται* |
| Luc. de domo 11: *τὴν οὐρὰν ἐπάρας καὶ πάντοθεν αὑτῷ περιστήσας ἐπιδείκνυται τὰ ἄνθη τὰ αὑτοῦ καὶ τὸ ἔαρ τῶν πτερῶν.* | *τὸν αὐχένα διάρας καὶ τὸ πτερὸν κυκλοτερῶς περιστήσας τὸ χρυσαυγὲς καὶ κατάστερον,* |
| Ach. I 16, 2: *ἀναπτερῶσαι τὸ κάλλος καὶ τὸ θέατρον ἐπιδεικνύναι τῶν πτερῶν.* | *θεατρίζῃ τὸ κάλλος τοῖς ἐρασταῖς.* |

Hac ex comparatione elucebit Gregorium flosculos omnium partium collegisse; sed nullo pacto adduci possumus, ut Achilli descriptionem Gregorii notam fuisse credamus. *καλλωπίζεται*

---

[1]) Inter Pseudo-Libanii *ταῶνος ἔκφρασιν* T. IV p. 1073 et Achillis descriptionem nulla exstat cognatio.

est verbum, quod in his descriptionibus nisi apud Achillem et Gregorium non inveneris. Non neglegenda est Gregorii locutio *θεατρίζῃ τὸ κάλλος τοῖς ἐρασταῖς*, quam adhibere mihi videtur Tatii sententiam *ἀναπτερῶσαι τὸ κάλλος καὶ τὸ θέατρον ἐπιδεικνύναι τῶν πτερῶν* lepide imitatus. Tatius autem sua verba e Dione or. XII 2 sumpsit: *ἐπιδεικνύοντα τὸ κάλλος τῶν πτερῶν . . . καὶ περιστήσας ἑαυτῷ πανταχόθεν ὥσπερ εὐειδὲς θέατρον.* Etsi Gregorium Dionis descriptionem non ignorasse concedo, tamen eum Tatium quoque hac locutione aemulatum esse putaverim: nam Tatius e Dione verba, inter quae *θέατρον*, sumpsit, sed collocationem eorum mutavit; Gregorius vero verbum *θέατρον* in *θεατρίζῃ* mutavit, collocationem autem Tatii magis secutus est ipse quoque *τὸ κάλλος* propius ad *θεατρίζῃ* apponens:

Dio: *ἐπιδείκνυται τὸ κάλλος τῶν πτερῶν . . . ὥσπερ εὐειδὲς θέατρον.* — Achilles: *ἀναπτερῶσαι τὸ κάλλος καὶ τὸ θέατρον ἐπιδεικνύναι τῶν πτερῶν.* — Gregorius: *θεατρίζῃ τὸ κάλλος τοῖς ἐρασταῖς.*

2. Uterque de conchylii inventione verba facit:

| Ach. II 11,4 sqq. | Greg. Or. IV p. 136 D |
|---|---|
| Ach. II 11,4 sqq.: *τῆς δὲ ἐσθῆτος οὐ πάρεργον εἶχεν ἡ πορφύρα τὴν βαφήν, ἀλλ' οἵαν μυθολογοῦσι Τύριοι τοῦ ποιμένος εὑρεῖν τὸν κύνα . . . .* (5): *ἁλιεὺς . . . εἶδε τοῦ κόχλου τὴν τραχύτητα . . . καὶ ἔρριψεν . . . εὑρίσκει δὲ κύων τὸ ἕρμαιον καὶ καταθραύει τοῖς ὀδοῦσι, καὶ τῷ στόματι τοῦ κυνὸς περιρρεῖ τοῦ ἄνθους τὸ αἷμα καὶ βάπτει τὸ αἷμα τὴν γένυν καὶ ὑφαίνει τοῖς χείλεσι τὴν πορφύραν.* (6): *ὁ ποιμὴν ὁρᾷ τὰ χείλη τοῦ κυνὸς ᾑμαγμένα . . .* (7): *τὸ δὲ κατὰ τὴν γένυν τοῦ κυνὸς ᾑμάσσετο.* | Greg. Or. IV p. 136 D: *εἰ δέ σοι μέγα καὶ μέγιστον τῶν ὄντων ἡ ἁλουργίς . . . τί οὐκ ἀποθήσῃ ταύτην Τυρίοις, παρ' ὧν ἡ ποιμενικὴ κύων ἡ τῇ κόχλῳ βρωθείσῃ καὶ τὰ χείλη καθαιμαξάσῃ τῷ ποιμένι τὸ ἄνθος γνωρίσασα . . .* |

Achilles ut semper in excursibus de variis rebus, sic hoc loco summae in omnibus rebus explicandis diligentiae studet; apud eum imagines et translationes de conchylii arcanis, velut *αἷμα*, *ἄνθος*, postea *μυστήρια*, *εἰκόνα*, *ἄδυτον* perspicuae et alia post aliam explanatae sunt; Gregorius autem singulas res enarrare supersedet, qua brevitate efficitur, ut qua ratione murex e mari in litus delatus sit explicare neglegat. Itaque Gregorius narrationem apud Tatium inventam paucis verbis complexus esse videtur.

Nemo igitur negabit Achillem non necesse habuisse e Gregorii operibus quasdam res mirum consensum praebentes haurire.

Certiora afferam de ratione inter Achillem et Himerium intercedente.

## Caput 5.
## De Himerio et Achille Tatio.

Himerius quoque mea quidem sententia unus est ex iis, qui e thesauro fabellarum et narrationum memoratu dignarum ab Achille Tatio congesto occasione data aliquid sumere non veriti sunt. Sic de Aegypto et Nilo flumine Achilles varias praebet narratiunculas, quippe qui Alexandriae, ut Suidas nobis tradidit, vixerit[1]) atque omnium fabellarum in Aegypto pervulgatarum gnarus fuerit. Ach. IV 11, 3—5 de Nili cursu et Delta agit, IV 18, 3 sqq. de suavissima Nili aqua, IV 18, 5 de Aegyptiorum aquae Nili bibendae ratione, IV 18, 1—3 navigationem in Nilo piratarum insidiis turbatam describit, IV 12, 1—4 Nili miracula enarrat, qui locus notatu dignissimus est, IV 12, 4—8 de Nili paludibus, IV 14, 1—7 de Nili aggeribus et de inundationibus notissimis verba facit. Praeterea Nilum commemorat II 31, 6; III 9, 1; III 25, 4 sq. alias. Demonstraturum me esse spero Himerium, qui ipse quoque miraculis proferendis saepius gaudet, e Tatii descriptionibus multa mutuatum esse.

| | |
|---|---|
| 1. Ach. IV 12, 1: *Νεῖλος ὁ πολὺς πάντα αὐτοῖς γίνεται* (habemus igitur notissimam | Himer. Or. XIV 9: *ἴδοις ἄν, ἴδοις καὶ τὰ μεγάλα τότε κατὰ τὴν ἐκεῖσε χώραν θαύ-* |

[1]) Cf. Rohdius p. 504.

Achillis descriptionum rationem: *πάντα*, quod sequitur enumeratio accurata partium), *καὶ ποταμὸς καὶ γῆ καὶ θάλασσα καὶ λίμνη· καὶ ἔστι τὸ θέαμα καινόν, ναῦς ὁμοῦ καὶ δίκελλα, κώπη καὶ ἄροτρον, πηδάλιον καὶ τρόπαιον, ναυτῶν ὁμοῦ καὶ γεωργῶν καταγωγή, ἰχθύων ὁμοῦ καὶ βοῶν· ὃ πέπλευκας, φυτεύεις, καὶ ὃ φυτεύεις, τοῦτο πέλαγος γεωργούμενον* ... (3): *ἔστι δ' ἰδεῖν ποταμοῦ καὶ γῆς φιλονεικίαν. ἐρίζεται ἀλλήλοις ἑκάτερον· τὸ μὲν ὕδωρ, τοσαύτην γῆν πελαγίσαι· ἡ δὲ γῆ, τοσαύτην χωρῆσαι γλυκεῖαν θάλασσαν.*

*ματα. ἐπὶ μιᾶς γῆς πλωτῆρα τὸν αὐτὸν καὶ γηπόνον, καὶ νεμομένας βοῦς καὶ μετ' ὀλίγον ὁλκάδας, καὶ νῆσον ἐξαίφνης τὴν πρόσθεν πόλιν χερσεύουσαν.*

Videmus Himerii descriptionem attenuatam et depravatam. Achillem non numquam verba Herodoti secutum esse elucet, si comparas Ach. IV 12, 4: *ὅταν γὰρ τὴν πᾶσαν γῆν πελαγίσῃ* cum Herod. I 184 (de Euphrate dictum) *ἐώθει δὲ ὁ ποταμὸς ἀνὰ τὸ πεδίον πᾶν πελαγίζειν*, sive melius cum II 92 (de Nilo) *ἐπὰν πλήρης γένηται ὁ ποταμὸς καὶ τὰ πεδία πελαγίσῃ*. Himerius autem Or. XIV 8 haec dicit: *τότε ἐκχυθεὶς ἐξ Αἰθιοπίας πολὺς* (Tatii *Νεῖλος ὁ πολύς* secutus), *πέλαγος ἐξαίφνης ἅπασαν ποιεῖ τὴν Αἴγυπτον.* Similiter Or. III 15: *Νεῖλος μὲν δὴ λόγος* (!) *τὸν ποταμὸν τὸν Αἰγύπτιον ... ὑπὲρ γῆς Αἰγυπτίων χεόμενον καὶ κρύπτοντα τὰς ἀρούρας τῷ ῥεύματι πέλαγός τε ναυσίπορον καὶ πλωτὴν ὁλκάσιν ἀποφαίνειν τὴν Αἴγυπτον.* Achilles *ἰχθῦς* et *λίμνας* commemorat, ut Herodotus II 93, quem Achilles imitatur: *καὶ αὐτίκα τε πλέα γίνεται ταῦτα καὶ παραχρῆμα ἰχθύων σμικρῶν πίμπλαται πάντα.* Achilles igitur hoc quoque loco Herodotum tamquam exemplum respexit; Himerius autem hanc rem omittit. Apud Himerium commemorationem alacritatis hominum in Nilo versantium se-

qui admodum mirandum est, quam rem Achilles IV 18, 3 Herodotum II 60 imitatus profert:

Ach. IV 18, 3: *πάντα μεστὰ καὶ πολλή τις ὄψεως ἡδονή, ναυτῶν ᾠδή, πλωτήρων κρότος, χορεία νεῶν, καὶ ἦν ἅπας ὁ ποταμὸς ἑορτή· ἐῴκει δὲ ὁ πλοῦς κωμάζοντι ποταμῷ.*

Himer. Or. XIV 9: *τότε δὴ τότε πᾶσαν εὐπαθεῖν λόγος* (!) *τὴν Αἴγυπτον ἐν χοροῖς τε εἶναι καὶ μέλεσι· πλέουσι μὲν τὸν Νεῖλον αἱ συνήθεις ὁλκάδες, οὐ κατὰ χρείαν μόνον, ὥσπερ καὶ πρῴην ἀνήγοντο, ἀλλ' οἷον πομπήν τινα διὰ τοῦ πελάγους τῷ ποταμῷ πομπεύουσαι· οἱ δὲ δὴ πλωτῆρες αὐτῶν ὑπερήδονται καὶ πάντες χορεύουσιν . . .*

Animadvertendum est inter Herodotum et Himerium ne minimam quidem communitatem verborum exstare. Cum his rebus Himerius aliam sententiam coniungit:

Ach. IV 12, 4 sq.: *ὅταν γὰρ τὴν πᾶσαν γῆν πελαγίσῃ, λίμνας ἐνταῦθα ποιεῖ· αἱ δὲ λίμναι, κἂν ὁ Νεῖλος ἀπέλθῃ, μένουσιν οὐδὲν ἧττον . . . ἐπὶ ταύτας αὐτοὶ καὶ βαδίζουσι καὶ πλέουσιν, οὐδὲ ναῦς ἑτέρα δύναται πλεῖν, ἀλλ' ὅσον ἄνθρωπον ἐπιβῆναι· . . . τοῖς δὲ μικρὰ μὲν καὶ κοῦφα πλοῖα, καὶ ὀλίγον ὕδωρ αὐτοῖς ἀρκεῖ.*

Himer. Or. XIV 9: *πλεῖ ποτε καὶ μυριόφορτος ὁλκὰς πολὺν μὲν χρόνον χερσεύουσα, ὅτι μὴ πέλαγος τοσοῦτον εὕρισκε βαθύτητι, ὥστε καὶ λῦσαι τὰ πείσματα· τότε δὲ καὶ ἐκ λιμνῶν ἀνάγεται καὶ τοῖς παντοίοις ἀνέμοις ἁπλώσασα μετέωρος ὑπὲρ τῶν κυμάτων φέρεται.*

Totam de Nilo digressionem Himerius ab inundationibus constanter et certis temporibus evenientibus incipit, de qua re Tatius IV 12, 2 agit[1]).

[1]) De Nilo a scriptoribus antiquis commemorato cf. Partsch, Abh. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 1909, Philol.-histor. Klasse, Nr. XVI p. 553 sqq.: Des Aristoteles Buch „über das Steigen des Nil", qui neque Achillis neque Himerii locorum mentionem fecit.

Hae sunt partes, e quibus narrationes de Nilo compositae sunt:

| | apud Herodotum | Achillem Tatium | Himerium |
|---|---|---|---|
| Tempora inundationum anniversariarum | II 13 | IV 12, 2 (*αἱ ἐπιδημίαι τοῦ Νείλου*) | Or. XIV 8. 9 |
| Mira regionum varietas flumine inundante effecta | II 93 | IV 11, 5. IV 12, 1 | |
| Hilaritas hominum in Nilo navigantium | II 60 | IV 18, 3 | |
| Naves modo in vadis haerentes modo facultatem navigandi adeptae | | IV 12, 4. 5 | |

His locis comparatis perpendamus, uter prior scripserit. Non in eodem contextu quem apud Tatium legimus Himerius illas de Nilo res narrat; nam sunt apud Himerium interpellationes reliqui sermonis et tamquam exempla miraculorum prolata; in Tatii autem fabula hi excursus iis rebus, quas auctor ad Nili flumen gestas fingit, appositi sunt. Tatius subtilem cognitionem rerum de Nilo narratarum praebet, quo pacto omnes imagines vere animatae apparent. Himerius has res in angustum coegit. Ut exemplo utar, illam locutionem descriptionum Tatianarum propriam *Νεῖλος ὁ πολὺς πάντα αὐτοῖς γίνεται, καὶ ποταμὸς καὶ γῆ καὶ θάλασσα καὶ λίμνη· καὶ ἔστι τὸ θέαμα καινόν, ναῦς ὁμοῦ καὶ δίκελλα* . . . et quae sequuntur, Himerius valde contraxit: *ἐπὶ μιᾶς γῆς πλωτῆρα τὸν αὐτὸν καὶ γηπόνον καὶ νεμομένας βοῦς καὶ μετ' ὀλίγον ὁλκάδας* . . . Contentio et comparatio singularum rerum, quae Nilo efficiuntur, apud Himerium quoque aliqua quidem ex parte servatur, sed deest apud eum illa complectendi ratio Tatiana, quam iam in descriptionibus affectuum animadvertimus, *πάντα αὐτοῖς γίνεται, καὶ . . . καὶ . . . καὶ . . . καὶ* . . . Hanc scribendi consuetudinem Tatii propriam apud Herodotum non invenimus, quamvis ille huius vestigiis in his quoque descriptionibus insistat. Himerius vero Herodotum his quidem locis non imitatur.

Hic consensus inter Achillem et Himerium exstans fortuitus esse non potest. Omnibus autem rebus perpensis sequitur, ut Himerius explicationum Tatianarum non immemor scripserit.

2. Tatius, qui vim amoris non solum hominibus, sed etiam rebus inanimis insiti demonstrare studet, hac in re compluries Himerii exemplum fuisse videtur. Itaque apud eos easdem sententias de amore lapidum legimus:

Ach. I 17, 1: ἦ γὰρ ὁ ἔρως, ἔφη, τοσαύτην ἔχει τὴν ἰσχύν, ὡς καὶ μέχρις ὀρνίθων πέμπειν τὸ πῦρ; οὐ μέχρις ὀρνίθων, ἔφην (designat amorem pavonum), τοῦτο γὰρ οὐ θαυμαστόν . . . ., ἀλλὰ καὶ ἑρπετῶν καὶ φυτῶν, ἐγὼ δὲ δοκῶ, καὶ λίθων. ἐρᾷ γοῦν ἡ Μαγνησία λίθος τοῦ σιδήρου· κἂν μόνον ἴδῃ, πρὸς αὑτὴν εἵλκυσεν, ὥσπερ ἐρωτικόν τι ἔνδον ἔχουσα. καὶ μή τι τοῦτο ἔστιν ἐρώσης λίθου καὶ ἐρωμένου σιδήρου φίλημα; Apponam sententiam de effectu aspectus horribilis apud Tat. III 15, 6 expositam: καὶ τάχα ὁ τῆς Νιόβης μῦθος οὐκ ἦν ψευδής, ἀλλὰ κἀκείνη τι τοιοῦτον παθοῦσα ἐπὶ τῇ τῶν παίδων ἀπωλείᾳ δόξαν παρέσχεν ἐκ τῆς ἀκινησίας ὡσεὶ λίθος γενομένη.

Himer. Ecl. XXXI 10: σὺ καὶ τοὺς μύθους πιστοὺς ἀπέδειξας, ὅτι στένει καὶ λίθος ἐρῶν καὶ λείβει δάκρυα, ὥσπερ ἐραστὴς τῆς ἐρωμένης κλεπτόμενος· ὡς ἐγὼ δέδοικα μή τι καὶ πάθος ὁ περί σε πόθος ἐργάσηται, καί τινες τὴν φύσιν ἀμείψαντες εἶτα ξένον μῦθον γεννήσωσι λίθος ἢ δένδρον γενόμενοι.

Sic Achilles deinceps amorem arborum, lapidum, aquarum, serpentium explicat.

3. Ach. I 17, 3: περὶ δὲ τῶν φυτῶν λέγουσι παῖδες σοφῶν· καὶ μῦθον ἔλεγον ἂν

Himer. Or. I 3: εἰ δὲ δὴ μὴ μῦθος ὁ ποιητῶν λόγος, ἐν νάπαις τὰ πρῶτα καὶ ἄν-

| | |
|---|---|
| τὸν λόγον εἶναι, εἰ μὴ καὶ παῖδες ἔλεγον γεωργῶν. ὁ δὲ λόγος· ἄλλο μὲν ἄλλου φυτὸν ἐρᾶν. | τροις τὴν ἁρμονίαν ταύτην ἡρμόσατο (scil. Ἀπόλλων). |

Hoc loco Achillem Platonis imitatorem esse dixit Villoisonus[1]). Nam Plato inter *μῦθος* et *λόγος* distinxit: Prot. p. 320 C: *μῦθον λέγων ἐπιδείξω ἢ λόγῳ διεξελθών.* Tim. p. 26 E: *μὴ πλασθέντα μῦθον, ἀλλ' ἀληθινὸν λόγον εἶναι.* Phaed. p. 61 B: *ὅτι τοὺς ποιητὰς δέοι ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους.* Apud Tatium et Himerium eandem formam *εἰ . . . μὴ . . .* legimus; illius verba sensui consentanea et arguta sunt, huius verba vim valde attenuatam habent. Himerius antea dixit: *Ἀπόλλωνά φασι μετὰ τὰς μεγάλας νίκας, ἃς πλήττων τὴν λύραν ἤρατο, καὶ κατὰ παστάδων ἠχῆσαι μέλος γαμήλιον. εἰ δὲ δὴ μὴ μῦθος ὁ ποιητῶν λόγος . . .* Sed haec verba apposita quid sibi velint non facile intellegitur. Nam cum de Apolline agatur, haec Himerii narratio nihil nisi *μῦθος* existimanda est. Ad hanc fabulam comparatio „verae historiae“ et „mendaciunculi poetici“ minime apte convenit. Contra Tatius de vero facto e naturali historia notissimo disserit, quia palmas amore quodam permotas aliam in aliam sese applicare putat. Agit enim de insitione surculorum: *πτόρθον γὰρ τοῦ θήλεος φοίνικος λαβὼν* (scil. *ὁ γεωργὸς*) *εἰς τὴν τοῦ ἄρρενος καρδίαν ἐντίθησι . . . τοῦτο ἔστι γάμος φυτῶν*[2]). Achilles igitur habet quod quaerat, utrum verum sit hanc insitionem ad desideria amoris explenda fieri an illa de amore arborum sententia sit fabula ficta. Imitatoris autem est inepte id proferre, quod exemplar aptissime scripsit.

| | |
|---|---|
| 4. Ach. V 1, 4 sq. (de Alexandria, urbe pulcherrima): *ἐγὼ δὲ μερίζων τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς πάσας τὰς ἀγυιὰς θεατὴς ἀκόρεστος ἤμην καὶ* | Himer. Or. V 8 (de Thessalonica): *ἀπορήσαις ἂν ὅ τι καὶ πρῶτον θαυμάσειας. ὥσπερ γὰρ οἱ τὸν οὐρανὸν ἐν ἠριναῖς ὥραις προσβλέποντες με-* |

[1]) Ad Longum p. 90.

[2]) Conferri potest Philostrati quae *Ἔρωτες* inscribitur imago I 6. Ipse comparabo (p. 52) imaginem I 9, quam in amore arborum describendo Achillis fontem fuisse videbimus.

τὸ κάλλος ὅλως οὐκ ἐξήρκουν ἰδεῖν. τὰ μὲν ἔβλεπον, τὰ δὲ ἔμελλον, τὰ δὲ ἠπειγόμην ἰδεῖν, τὰ δὲ οὐκ ἤθελον παρελθεῖν· ἐκράτει τὴν θέαν τὰ ὁρώμενα, εἷλκε τὰ προσδοκώμενα.

ρίζονται μὲν ἁπανταχοῦ τὴν ὄψιν ἀπὸ τοῦ κάλλους τῆς θέας, ἐκεῖνο δὲ ἔχει τὸν θεατὴν πρῶτον, ὅτι κεχείρωται, οὕτω καὶ ἡ πόλις καὶ πᾶσα ἐκπλήττει καὶ ἰδίᾳ πᾶσι τοῖς μέρεσιν.

Or. VII 8 (de Constantinopoli): ἔνθεν ὁ χρυσὸς τὴν πόλιν μερίζει, ἐντεῦθεν τέχναι τοὺς θεωμένους ἀνθέλκουσι θαύμασιν.

5. Ach. I 9, 4: ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀλλήλοις ἀντανακλώμενοι ἀπομάττουσιν ὡς ἐν κατόπτρῳ τῶν σωμάτων τὰ εἴδωλα.

Ach. V 13, 4: ἡ δὲ τῆς θέας ἡδονὴ ... ἕλκουσα δὲ τοῦ ἐρωμένου τὸ εἴδωλον ἀεὶ ἐναπομάττει τῷ τῆς ψυχῆς κατόπτρῳ καὶ ἀναπλάττει τὴν μορφήν.

Himer. Ecl. X 12: καθάπερ γὰρ ἐν κατόπτρῳ τῇ τοῦδε ψυχῇ εἴδωλόν τι τῆς ἐμαυτοῦ γνώμης ἰδὼν φαινόμενον ἥσθην τε αὐτῷ.

## Caput 6.

## De Themistio et Achille Tatio.

1. Ach. I 2, 3: παρέρρει δὲ ὕδωρ ψυχρόν τε καὶ διαυγές.

Them. Or. II p. 39 C: Κύδνου δὲ ἡττήθη τοῦ ποταμοῦ ψυχροῦ ῥέοντος καὶ διαυγοῦς.

Or. XXII p. 280 C: ἔρρει δὲ καὶ νᾶμα ἐξ ἑκατέρας τῆς ἄκρας ψυχροῦ τε καὶ διαυγοῦς ὕδατος.

Or. XXVII p. 337 D: ἐκ τῆς παραρρεούσης ἄρυσαι κρήνης, ἧς τὸ νᾶμα αὐτῆς πότιμόν τε καὶ διαυγές.

Achilles in hac descriptione (*ἄλσος, πλάτανοι, ψυχρὸν ὕδωρ*) e Platone multa sumpsit, qui dicit Phaedr. p. 230 B: *ἥτε αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ μάλα ψυχροῦ ὕδατος*. Exhibet autem unum novum Achilles: *ψυχρόν τε καὶ διαυγές*. Aristaenetus I 3 Platonem ad verbum fere exscribens nihilominus illam amplificationem ab Achille inventam imitatur et adiungit: *ὕδατος εὖ μάλα ψυχροῦ . . . καὶ διαφανοῦς τοσοῦτον, ὥστε συνεπινηχομένων καὶ διὰ διαυγὲς ὑδάτιον διαπλεκομένων . . .* Achillem, ut ita dicam, inventorem huius sententiae adiunctae esse ea re confirmatur, quod claritatem aquae describens pergit: *διαυγές, οἷον ἀπὸ χιόνος ἄρτι λυθείσης ἄρχεται*, qua comparatione aquam et frigidam et puram esse declaretur. Ego autem contendo Themistium quoque geminationem verborum naturam aquae significantium *ψυχρόν τε καὶ διαυγές*, quam coniunctionem ter apud eum inveni, Achilli debere. Nam Tatius cetera e Platone sumpsit, Themistius his quidem locis Platonem non secutus est; desunt enim apud eum *πλάτανοι* et *ἄλσος* atque ceterae descriptiones Platonicae, quas Tatius omnes exscripsit. Themistius longas descriptiones proferre omnino non in animo habet, habet autem Tatius sicut Plato. Conspirat igitur Achilles cum Platone, Themistius autem, quamvis aliis locis se praebeat Platonis imitatorem, hoc quidem loco amplificationem a Tatio primo imitationi Platonicae adiunctam suam fecit. His ex causis apertum est non Achillem orationes Themistii compilasse, immo vero Themistium Achillis fabulam ante oculos habuisse.

| | |
|---|---|
| 2. Ach. II 2, 2 (de omnibus vinis): *τούτους μὲν ἅπαντας ἀποίκους εἶναι Τυρίων ἀμπέλων· τὴν δὲ πρώτην παρ᾽ αὐτοῖς φῦναι τῶν οἴνων μητέρα.* | Them. Or. XX p. 237 A (de sene horti culturae perito): *ἀνήγαγεν εἰς τὰς μητροπόλεις, ὥσπερ οἱ γενεαλόγοι, τῶν σταφυλῶν τὰς ἀποικίας.* |
| 3. Ach. III 2, 8: *ἐπάφλαζε τὸ πνεῦμα, ὀλολυγμὸς γυναικῶν, ἀλαλαγμὸς ἀνδρῶν, κελευσμὸς ναυτῶν.* | Them. Or. XI p. 153 A: *σάλπιγγος ἠχὴ καὶ ἀλαλαγμὸς ἀνδρῶν πολλάκις μυρίων καὶ ὀξὺ χρεμετίζοντες ἵπποι.* |

Hunc Achillis locum Synesio quoque obversatum esse iam supra [1]) demonstravi.

| | |
|---|---|
| 4. Ach. VIII 18, 3: *ἂν μὲν οὖν ἐθελήσῃ μοι δοῦναι τὴν κόρην, ἀγαθῇ τύχῃ δέξομαι.* | Them. Or. VIII p. 127 D: *ἀλλ' ἀγαθῇ τύχῃ καὶ δέχομαι τὸ προοίμιον.* |

Obiter exemplum afferam, quo Themistium fabulas Romanenses studiose legisse appareat.

| | |
|---|---|
| Ach. VI 4, 2: *ἥκω σοι φέρων σωρὸν ἀγαθῶν.*<br>VI 12, 5: *τί μοι καταλέγεις σωρὸν ἀλλοτρίων ἐγκωμίων;* | Them. Or. XXIX p. 345 D–346 A: *ἐμοὶ δέ, ὦ ἄνδρες, τοσοῦτος σωρὸς καὶ ἑσμὸς σοφίας οὔτε ἐκτήθη ποτὲ οὔτε μὴν κτηθείη, . . . ἴσως γὰρ καὶ ὑπὲρ τὴν φύσιν ἐστὶ τὴν ἀνθρωπίνην οὕτω δυσαριθμήτων ἀγαθῶν πλοῦτον καὶ θησαυρὸν μιᾷ ψυχῇ ἐναποκεῖσθαι.* |

Constat Achillis VI 4, 2 exemplum Charitonem VI 5 fuisse, apud quem eunuchus regis Persarum haec ad Callirrhoen amatam dicit: *μεγάλην, εἶπεν, ἀγαθῶν, ὦ γύναι, θησαυρόν σοι κεκόμικα.* Alciphro I 1 habet: *πλοῦτον ἀγαθῶν.* Nonne mirandum est eas locutiones, quae apud illos scriptores eroticos singillatim inveniantur, Themistium in duabus enuntiationibus finitimis parvulis coacervavisse et hac copiosa dictione sententiam vulgarem latius prosecutum esse? Videas velim:

| | |
|---|---|
| Achilles dicit: | *σωρὸν ἀγαθῶν* |
| Alciphro: | *πλοῦτον ἀγαθῶν* |
| Charito: | *θησαυρὸν ἀγαθῶν* |
| Themistius: | *σωρὸς (καὶ ἑσμὸς σοφίας). ἀγαθῶν πλοῦτον. θησαυρόν.* |

Nulla igitur re cogimur putare Achilli orationes Themistianas notas fuisse, id quod sententiam meam, secundum quam Tatius ante medium quartum saeculum fabulam conscripsit, admodum confirmat.

[1]) P. 25 sq.

Opportune accidit quod certo scimus, quibus annis quaedam orationes Themistii habitae sint: e multis quaestionibus, quae de orationum temporibus definiendis institutae sunt[1]), effectum est primam orationem anno 348, secundam anno 355, tertiam et quartam anno 357 esse habitas. Ante hos igitur annos Achillis fabula scripta esse videtur, cum mirum consensum inter Ach. I 2, 3 et Them. or. II 39 C exstantem animadverterimus[2]).

## Caput 7.

## De scriptis Pseudo-Libanianis et Achille Tatio.

Libanium ipsum auctores classicos imitandos sibi proposuisse, recentiores autem Aristide paucisque aliis ut Helladio Besantinoo[3]) exceptis neglexisse Foerster[4]) exposuit. Itaque non mirandum est locos Libanianos qui imitationes Tatii iudi-

---

[1]) Cf. C. Gladis, De Themistii Libanii Iuliani in Constantium orationibus, Diss. Vrat. 1907, p. 5. 7. 10. 13.

[2]) Sententiae meae alia contemplatio, quam instituit Bollius, Philol. LXVI 11—15, non minus favet. In Tatii octavo libro, cap. 13—14, duo experimenta castitatis duarum mulierum describuntur: Melite aqua fontis, qui *Στυγὸς ὕδωρ* vocatur, integritatem probare cogitur; aqua fontis medium crus contingens, cum periurus ingreditur, usque ad collum statim accrescit. Leucippa in Panis antro se purgare iubetur. Hasce duas sententias Achillem Bardesani, Christiano scriptori secundi saeculi exeuntis, debere Bollius ostendit. Bardesanis sententias iam Porphyrius in scripto *περὶ Στυγός* (Stob. Ecl. I 3, 56) in suum usum convertit. Etiam apud Porphyrium utraque purgandi ratio commemoratur. Bollius autem Tatium Porphyrii excerptum non compilasse, immo ignorasse contendit. Porphyrium e Bardesane hausisse apertum, Achillem illa e Porphyrio cepisse non verisimile esse. Quare Tatium Porphyrii aequalem fuisse quartoque saeculo vixisse arbitratur: „Ist Achilles ein Jahrhundert älter und Heide gewesen (Wilamowitz, Kultur der Gegenwart I 8 S. 185 setzt ihn rein vermutungsweise vor c. 350), so hat seine Benützung des Christen Bardesanes an Porphyrios eine auch zeitlich nahe Parallele".

[3]) De Helladii quarti saeculi auctoris libro qui *πραγματεία χρηστομαθειῶν* inscriptus erat cf. Foerster Herm. XIV 469 et Philol. XXXV 710.

[4]) Rh. Mus. XXXII (1877) p. 86—88. Herm. XII p. 210. Etiam incertum est Philostrati atque Plutarchi vestigia pressisse Libanium; cf. Foerster Liban. t. V p. 123 not. 1 et VI p. 370 not. 4.

centur non inveniri[1]). Notandum autem mihi videtur auctores earum declamationum, quae Libanio falso tribuantur, nonnulla a Tatio mutuatos esse. Inter epistulas et progymnasmata et declamationes sub Libanii nomine traditas multas esse Pseudo-Libanianas Foerster[2]) aliique demonstraverunt[3]). Quae igitur proferam Achillem Libanii ipsius exemplum esse non comprobabunt; immo vero iudicare licebit eas declamationes, quae quibusdam locis cum dictione Tatiana congruant, Libanii non esse.

Primum animadvertendum est in eo capite, quod *κάλλους ἔκφρασις* (T. IV p. 1069—1072 Reiske) inscriptum inter scripta Libaniana locum falso accepit, eas res tractari, quae apud scriptores eroticos, imprimis fabulatores Romanenses, sunt argumentum tritum. Non difficile est intellectu auctorem nobis ignotum in his rebus ab Achille Tatio compluries disserta respexisse et apud hunc dispersa in unum caput congessisse. Qua autem ratione Achillis libri compilati esse mihi videantur, iam explicabo.

### *α) κάλλους ἔκφρασις*, T. IV p. 1069—1072.

1. Legimus in ecphrasi descriptionem pulchritudinis, quae tota colores Tatianos ostendit:

---

[1]) Affero duos locos Libanianos, qui cum locutione Tatiana similitudinem ostendunt levem quae nihil probet.

| | |
|---|---|
| Ach. VII 14, 3: *ὃς ἀνοιμώξας καὶ κοψάμενος τὴν κεφαλὴν ἐμπηδᾷ μου τοῖς ὀφθαλμοῖς καὶ μικροῦ δεῖν ἐξώρυξεν αὐτούς. οὐδὲ γὰρ ἐπεχείρουν κωλύειν ἐγὼ ... ὁ δὲ Κλεινίας προσελθὼν εἶργε.* | Liban. T. IV p. 629, 28 (*φιλάργυρος ἀποκηρύττει) ἐβουλευσάμην μὲν οὖν εὐθὺς ... ἐξορύξαι τὼ ὀφθαλμώ· κωλυόμενος δ' ὑπὸ τῶν παρόντων . .* |
| Ach. III 17, 3: *μή μοι φθονήσητε θανάτου καλοῦ, μᾶλλον δὲ φαρμάκου τῶν κακῶν· οὐδὲ γὰρ ζῆν ἔτι δύναμαι ... τοῦτο μὲν γὰρ ἀφαιρήσεσθέ μου τὸ ξίφος, τὸ δὲ τῆς λύπης ξίφος ἔνδον καταπέπηγε καὶ τέμνει κατ' ὀλίγον.* | Liban. T. IV p. 159, 9 (*φθονερὸς ἑαυτὸν προσαγγέλλει): οἶδα μὲν οὖν, ὅτι, κἂν μὴ τύχω τοῦ φαρμάκου, τῇ λύπῃ γε ἀντὶ τοῦ φαρμάκου χρήσομαι.* |

[2]) „Zur Schriftstellerei des Libanius", Fleckeis. Jahrb. 1876 p. 491 sqq., 638 sqq. et „Francesco Zambeccari und die Briefe des Libanius", Stuttgart 1876, p. 212 sqq.

[3]) Cf. Pietsch, De Choricio Patrocli declamationis auctore, Vrat. 1910, p. 3 sq.

Ach. I 4, 3: ὄμμα γοργὸν ἐν ἡδονῇ· κόμη ξανθή, τὸ ξανθὸν οὖλον· ὀφρὺς μέλαινα, τὸ μέλαν ἄκρατον. λευκὴ παρειά, τὸ λευκὸν ἐς μέσον ἐφοινίσσετο καὶ ἐμιμεῖτο πορφύραν, οἵαν εἰς τὸν ἐλέφαντα Λυδία βάπτει γυνή· τὸ στόμα ῥόδων ἄνθος ἦν, ὅταν ἄρχηται τὸ ῥόδον ἀνοίγειν τῶν φύλλων τὰ χείλη.

Ach. I 19, 1 est descriptio puellae, cuius pulchritudinem cum παραδείσῳ I 15 coloribus et elegantiis quaecumque excogitari possunt descripto comparat: τὸ δὲ κάλλος ἀστράπτον τοῦ ταῶ ἧττον ἐδόκει μοι τοῦ τῆς Λευκίππης εἶναι προσώπου. τὸ γὰρ τοῦ σώματος κάλλος αὐτῆς πρὸς τὰ τοῦ λειμῶνος ἤριζεν ἄνθη· ναρκίσσου μὲν τὸ πρόσωπον ἔστιλβε χρόαν, ῥόδον δὲ ἀνέτελλεν ἐκ τῆς παρειᾶς, ἴον δὲ ἡ τῶν ὀφθαλμῶν ἐμάρμαιρεν αὐγή, αἱ δὲ κόμαι βοστρυχούμεναι μᾶλλον εἱλίττοντο κιττοῦ. τοιοῦτος ἦν Λευκίππης ἐπὶ τῶν προσώπων ὁ λειμών.

Ps.-Lib. T. IV p. 1071, 12 sqq.: εἶδον γὰρ κάλλος καλὸν ὄμμα προσμειδιᾶν, καὶ ταῖς διαλόξοις στροφαῖς χαριτούμενος ὀφρὺν ἑλικοειδῆ τὴν ἀψίδα περιτορνεύουσαν, παρειὰς τῷ συμμέτρῳ τῆς χροιᾶς καὶ τῆς θέας περιαυγαζούσας τὸ φοίνιγμα βόστρυχον πρὸς τῷ ὦτε περικεκλωσμένον παρασύροντα τοὺς ἀνθέρικας κἀκείνους οὔλους καὶ χρυσοειδὲς ἐπαυγάζοντας . . . πρὸς δέ γε τὸ λευκόχρουν χρυσοειδῆ τε πάντα παρέτεινεν· ἐδέχετο δὲ καὶ αὐτὸ ἐκ τῆς τῶν ἐκεῖθεν χρωμάτων αὐγῆς· καί πως ἀντέχρωζεν ἡδέως πρὸς ἕκαστα· καὶ παράδεισος ἀνθέων ἐδόκει τὸ πρόσωπον· εἶδον καὶ χείλη, καὶ νῦν λειποθυμῶ πρὸς τὴν ἔκφρασιν. γυρόθεν γὰρ ἡ λευκότης θαυμασίως πρὸς τὸ φοίνιγμα διετόρνευσε. μέσον δ' ἐκεῖνο καθαρῶς ἐφοινίττετο· καὶ ῥόδον εἶχον ὁρᾶν περιτετειχισμένον ταῖς κάλυξι . . .

Cum extremis Pseudo-Libanii verbis comparo Ach. II 1, 3: ἐγὼ δὲ ἐδόκουν τὸ ῥόδον (quam rosam puella modo cecinit) ἐπὶ τῶν χειλέων αὐτῆς ἰδεῖν, ὡς εἴ τις τῆς κάλυκος τὸ περιφερὲς εἰς τὴν τοῦ στόματος ἔκλεισε μορφήν.

Verba p. 1071, 24: *καὶ παράδεισος ἀνθέων ἐδόκει τὸ πρόσωπον* spectare ad Achillis descriptionem crediderim. Hic res comparandas cum comparatis aequare solet (I 15, 4: *καὶ ἦν βόστρυχος τοῦ φυτοῦ.* I 16, 3: *λειμῶνα πτερῶν.* I 19, 2: *τοιοῦτος ἦν Λευκίππης ἐπὶ τῶν προσώπων ὁ λειμών*).

| | |
|---|---|
| 2. Ach. II 37, 6: *γυναικὶ . . . μαλθακὰ δὲ τὰ χείλη πρὸς τὰ φιλήματα.* | Ps.-Liban. T. IV p. 1071, 31: *ὅσον δὲ εἰκὸς ἦν ἐκ τῶν χειλέων τεκμαίρεσθαι, μαλθακὸν ἂν εἶχεν ἴσως τὸ φίλημα.* |

Quo in contextu Achilles haec verba habet? Legimus apud eum longam de amore puerorum et mulierum digressionem, qua exquiratur, utrum amoris genus praeferendum sit. Hoc loco agit de laudibus muliebris amoris propriis et verisimillimum est hanc quoque de mulieribus sententiam sumptam esse ex iis scriptis plus minusve lascivis, quae hoc *ζήτημα* disceptaverant; qui autem fontes Achillis fuerint vel esse potuerint, iam cognitum est[1]. Hoc quoque loco Pseudo-Libanius omni novitate vel proprietate sententiae caret, immo vero Achillis verba simplicia et rem probatam tamquam normam significantia alia ratione expressit. Utitur, ut ita dicam, hac Achillis regula dicens: si ex labris puellae coniecturam facere possum, savia haud scio an — secundum regulam notissimam — mollia sint.

### β) *Προμηθέως ἔκφρασις*, T. IV p. 1117 sqq.[2].

Hanc descriptionem Promethei vincti non Libanii, sed Nicolai sophistae esse certo scimus, cuius sub nomine Walzius Rhet. Gr. I 396 sqq. edidit.

---

[1]) Cf. Fr. Wilhelm, Rh. Mus. LVII 55—75.

[2]) De hac Promethei descriptione diserte egit F. C. Petersen, Commentationum de Libanio partic. III p. 11 sqq., Hauniae 1828, qui multos locos corruptos coniecturis sanare conatur. Equidem textum non modo corruptum, sed etiam auctoris obscuro scribendi genere parum dilucide scriptum esse censeo. Petersen p. 16 sq. quaedam monumenta antiqua huic descriptioni convenientia exstare putat; hae autem quaestiones Petersenii, quas a se nondum satis accurate institutas esse ipse in comment. part. II p. 5 confitetur, non sufficere mihi videntur. Cf. etiam Conr. Lange, Die Statuenbeschreibungen des Christodor und Pseudolibanius, Rh. Mus. XXXV 127.

| | |
|---|---|
| 1. Ach. III 8, 3: ὁ δὲ ἀλγῶν πάντη συνέσταλται καὶ τὴν πλευρὰν συνέσπασται καὶ τὸν μηρὸν ἐγείρει καθ' αὑτοῦ· εἰς γὰρ τὸ ἧπαρ συνάγει τὸν ὄρνιν· ὁ δὲ ἕτερος αὐτῷ τοῖν ποδοῖν τῷ σπασμῷ ὄρθιος ἀντιτείνεται κάτω . . . | Nicol. p. 398, 15 W.: τοῖν δὲ δὴ ποδοῖν ὁ μὲν ἐς γόνυ κέκαμπται καὶ ἐξανέχει τὸν ἀετὸν . . . καὶ τῷ τρέφοντι προσηγάγετο σώματι. p. 399, 12: ἡ δὲ δὴ λαιὰ παραπλησίως μὲν ἐκείνη συνέσταλται τὸν μὲν τῶν δακτύλων συγκάμπτουσα, τοὺς δὲ λοιποὺς εἰσάπαν συνέλκουσα. |
| 2. Ach. III 8, 2: ἔοικε διορύττειν τὸ τραῦμα καὶ ζητεῖν τὸ ἧπαρ. 3: εἰς γὰρ τὸ ἧπαρ συνάγει τὸν ὄρνιν. | Nicol. p. 399, 18: ὁ δὲ δὴ ἀετὸς ἀνέχεται μὲν πρὸς τοῦ γόνατος. ἐς αὐτὸ δὲ τὸ ἧπαρ χωρεῖ. |
| 3. Ach. III 8, 4: τὸ δ' ἄλλο σχῆμα δείκνυσι τὸν πόνον· κεκύρτωται τὰς ὀφρῦς, συνέσταλται τὸ χεῖλος, φαίνει τοὺς ὀδόντας. | Nicol. p. 397, 19: ἔπειτα τὰς ὀφρῦς προσδιέστειλε, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἑκάτερον μύσας συνέκλεισε καὶ τὴν ὀδύνην ἐν μέρει τὸ πρόσωπον ἔστησεν. p. 397, 21: ἔπειτα ῥίς, στόμα παρειὰς διαδέχεται . . . αἱ δὲ συστελλόμεναι καὶ τὴν τιμωρίαν αἰτοῦσαι μετριωτέραν καθίστασθαι. |

Quid sibi vult Nicolai *προσδιέστειλε*? Vox, si incorrupta est [1]), nihil nisi „praeterea disiungere" significare potest. Sed quo modo hoc de superciliis dici potest, ut magnitudo doloris effingatur? Immo vero dolore affecti supercilia aut contrahere aut arcuata tollere solent, quapropter Achilles *κεκύρτωται* aptissime dixisse mihi videtur. Ego quidem conicio Nicolaum Achillis verba hunc in modum legisse vel intellexisse: *κεκύρτωται* (i. e. incurvatur Prometheus doloribus contractus, ut III 8, 3: *ὁ δὲ ἀλγῶν πάντη συνέσταλται*), *τὰς ὀφρῦς συνέσταλται* (supercilia contracta praebet), *τὸ χεῖλος φαίνει τοὺς ὀδόντας*,

[1]) Petersen, partic. III p. 12 *παραδιέστειλε* scribendum esse censet.

et Achillis imagini repugnantem de superciliis contrarium effinxisse.

De oculis Achilles III 8, 7 loquitur, quam imaginem Nicolaus aut non recte intellexisse aut consulto aliter expressisse videtur: *ὁ δὲ Προμηθεὺς μεστός ἐστιν ἐλπίδος ἅμα καὶ φόβου· πῇ μὲν γὰρ εἰς τὸ ἕλκος, πῇ δὲ εἰς τὸν Ἡρακλέα βλέπει, καὶ θέλει μὲν αὐτὸς ὅλοις τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, ἕλκει δὲ τὸ ἥμισυ τοῦ βλέμματος ὁ πόνος.* Hic locus meram Achillis Tatii rationem scribendi praebet; habemus denuo partitionem sensuum, cui Achilles studet. Nicolai autem descriptionem insulsam appellaverim, quia Prometheum unum oculum comprimentem fingit. Ceterum descriptionibus Achillis auctoritatem quandam esse easque ad scientiam imaginum re vera pictarum — nominat pictorem illius imaginis III 6, 3 Euanthem — aliquid conferre iam dudum constat[1]), id quod de Nicolai imagine probari non potest.

Liceat alium quoque locum Tatii afferre, e quo elucet verbum *συστέλλω* apud Tatium saepius inveniri:

| | |
|---|---|
| Ach. VIII 1, 4: *ὡς δὲ καὶ τρίτην ἀπροφυλάκτως ἔπαισε, λανθάνει μου τῷ στόματι περὶ τοὺς ὀδόντας προσπαίσας τὴν χεῖρα, καὶ τρωθεὶς τοὺς δακτύλους μόλις τὴν χεῖρα συνέστειλεν ἀνακραγών.* | Nicol. p. 398, 23: *ταῖν δὲ δὴ χεροῖν ἡ δεξιὰ . . . κέκαμπται . . . καὶ τοὺς δακτύλους δὲ ἀναλλὰξ συστείλασα.* |

Nicolaus autem in contextu satis arto ter voce *συστέλλω* (397, 23. 399, 2. 399, 22), semel voce *προσδιέστειλε* usus est, qua coacervatione Achillem, qui in hac descriptione illud verbum bis tantum atque eandem formam *συνέσταλται* (Ach. VIII 1, 4 de aliis rebus agit, sed propter coniunctionem verborum *δακτύλους, χεῖρα συνέστειλεν* hunc locum commemoro) praebet, superare forsitan studuerit.

---

[1]) Cf. Rohdius p. 512 adn. 1. — Matz, De Philostratorum in describendis imaginibus fide, diss. Bonnae 1867, qui pag. 12—16 illas tres imagines Tatianas (I 1 Europam, III 6—8 liberationem Andromedae et Promethei, V 3, 4—8 Terei facinus) non fictas, sed veras habet. — K. Bapp apud Roscherum, Lexicon der Mythologie, III 2 p. 3097 sq. monumenta adhuc exstantia enumerat, quae cum Prometheo apud Tatium descripto consentiunt.

### γ) Διήγημα περὶ Πρόκνης καὶ Φιλομήλης[1]).

Pluribus verbis narrationes Pseudo-Libanii et Achillis Tatii de Procne et Philomela congruunt. Hanc quoque Achillis imaginem non commenticiam, sed ad veram picturam referendam esse verisimile est[2]).

| | |
|---|---|
| 1. Ach. V 5, 4: τὴν γλῶτταν τῆς Φιλομήλης φοβεῖται (scil. ὁ Τηρεύς) .... καὶ κείρει τῆς φωνῆς τὸ ἄνθος. | Ps.-Liban. T. IV p. 1103, 6: φοβούμενος δὲ τὸν ἔλεγχον τὴν γλῶτταν περιελών ... |
| 2. Ach. V 5, 5: ὑφαίνει γὰρ πέπλον ἄγγελον καὶ τὸ δρᾶμα πλέκει ταῖς κρόκαις καὶ μιμεῖται τὴν γλῶτταν ἡ χεὶρ καὶ Πρόκνης τοῖς ὀφθαλμοῖς τὰ τῶν ὤτων μηνύει ... ἡ Πρόκνη τὴν βίαν ἀκούει παρὰ τοῦ πέπλου. | Ps.-Liban. p. 1103, 8: ἄλλως μὲν οὖν οὐκ ἦν μηνῦσαι τῇ Πρόκνῃ τὸ τόλμημα .... πέμπει πέπλον ἡ Φιλομήλη γράμματα ἐνυφήνασα. τὰ δὲ ἐδήλου τὴν βίαν. |
| 3. Ach. V 5, 7: μόνον γὰρ ἐρῶσαι αἱ γυναῖκες ἀνιᾶσαι τὸν τὴν εὐνὴν λελυπηκότα. | Ps.-Liban. p. 1103, 2: ἐρῶσα δὲ ἡ Πρόκνη τὴν ἀδελφὴν Φιλομήλαν θεάσασθαι. |
| 4. Ach. V 5, 9: φεύγει μὲν ἀηδών, διώκει δὲ ὁ Τηρεύς. | Ps.-Liban. p. 1103: ὁ μὲν οὖν ἐδίωκεν ὡς ἀποκτενῶν. |

### δ) Πατρὸς τὴν ἑαυτοῦ παῖδα ἀποσφάξαντος ἀπολογία[3]).

| | |
|---|---|
| Ach. II 13, 1: (Καλλισθένης) ἀκούων τῷ Σωστράτῳ θυγατέρα εἶναι καλήν, ἰδὼν δὲ οὐδέποτε ἤθελεν αὐτῷ ταύτην γενέσθαι γυναῖκα· καὶ ἦν ἐξ ἀκοῆς ἐραστής ... | Ps.-Liban. T. IV p. 774, 28: ἔπειτα ὕστερον αὐτὸς αὑτῷ παρθένον ἀναπλάττων τοιαύτην, οἵαν ἀκήκοεν, ὠρέγετο τὴν παῖδα θεάσασθαι. |

[1]) Libanium diegematis auctorem esse incertissimum est.

[2]) Cf. Matz, De Philostratorum fide p. 16. — Jessen apud Roscherum, Lexicon III 2 p. 3020. 3022 (s. v. Procne).

[3]) De infanticidae declamatione a Libanio abiudicanda et Choricio tribuenda cf. Foerster Liban. t. V p. 361 et Pietschius, De Choricio Patrocli auctore p. 10 adn. 1.

| | |
|---|---|
| 2: *ἀναπλάττων γὰρ ἑαυτῷ τῆς παιδὸς τὸ κάλλος καὶ φανταζόμενος τὰ ἀόρατα . . .* | |

## Caput 8.
## De Nonno et Achille Tatio.

Postquam constituimus, quo tempore Tatius vixerit, nullo pacto adduci poterimus, ut Achillem Nonni Dionysiaca novisse credamus. Nonnum versus Gregorii Nazianzeni respexisse A. Ludwich[1]) demonstravit, quare eum non ante 390 scripsisse verisimile est. Numquam mihi persuadere potui, ut quos locos Tatianos Rohdius[2]) protulit, e Nonno sumptos putarem. Quia Nonnus Dionysiaca, Achilles fabulam ab Europae raptae descriptione incipit, Rohdius Achillem Nonni imitatorem iudicat. Huic sententiae opponendum est Tatium, quippe qui fabulam eroticam ab imagine res amatorias exhibente incipiat, Longi exemplum sequi. Hac in re illum Longi fabulam aemulatum esse Rohdius ipse[3]) contendit; sed hac Longi imitatione illa de Nonno Tatii exemplo sententia prorsus concidere debet, quamvis prooemia Nonni Tatiique de eodem agant argumento. At cum Longus[4]) tum Tatius picturam quandam describunt[5]), Nonnus res factas enarrat.

Deinde similitudines quasdam, quae in verbis utendis apud eos animadvertuntur, nihil probare contendo.

| | |
|---|---|
| 1. Ach. I 10, 1: *αὐτοδίδακτος γάρ ἐστιν ὁ θεὸς σοφιστής.*<br>V 27, 4: *αὐτουργὸς γὰρ ὁ Ἔρως καὶ αὐτοσχέδιος σοφιστής.* | Nonn. D. VII 110: *καὶ σοφὸς αὐτοδίδακτος Ἔρως . . .* |

---

1) Rh. Mus. XLII 233 sqq. et Nonni Panop. Dion., Lips. 1909, praef. p. IX.

2) L. c. p. 505 adn. 2.

3) L. c. p. 535.

4) Longi descriptionem picturae Lesbiae Matzius l. c. p. 16 fictam iudicat.

5) De Achillis imaginibus secundum vera monumenta conceptis cf. Matzius l. c. p. 12 sqq., imprimis de Europae imagine p. 13 adn. 2.

Huiusmodi appellationes Amoris apud omnes scriptores de rebus amatoriis verba facientes non insolitae sunt.

| | |
|---|---|
| 2. Ach. IV 19, 6 de crocodili dentibus: *τοσοῦτον σπόρον φέρει τὸ τῶν γενύων πεδίον.* | Nonn. D. IV 421 dentes draconis a Cadmo necandi cum segete comparans: *θηρείων γενύων βλοσυρὸν θέρος.* |
| 3. Ach. V 5, 4 sq.: *ἡ γὰρ Φιλομήλας τέχνη σιωπῶσαν εὕρηκε φωνήν. ὑφαίνει γὰρ πέπλον ... καὶ ... ἃ πέπονθε τῇ κερκίδι λαλεῖ.* | Nonn. D. IV 320: *σιγαλέης λάλον εἷμα δυσηλακάτου Φιλομήλης.* |
| 4. Ach. VIII 6, 3 de syringe: *αὐλοῦσι δὲ οἱ κάλαμοι πάντες ὥσπερ αὐλὸς εἷς· σύγκειται δὲ στοιχηδὸν ἄλλος ἐπ᾽ ἄλλον ἡνωμένος.* | Nonn. D. I 435: *οὐτιδανοὺς γὰρ οὐ πλεκτοὺς καλάμους καλάμοις στοιχηδὸν ἑλίσσω.* |

His locis collatis alterum alterius vestigia pressisse credere non possum. Neque narratiunculae quae apud utrumque inveniuntur, velut de inventione purpurae (Ach. II 11, 5. Nonn. D. XL 306 sqq.), descriptionesque quaedam, velut Tyri (Ach. II 14, 2 sqq. Nonn. D. XL 311 sqq.), Amoris armorum (Ach. II 5, 2. Nonn. D. XXXIV 66 sqq.), Panis tibiae (Ach. VIII 6, 6. Nonn. D. III 236 sqq.) alterum ex altero pendere demonstrant. Nam hi loci argumentorum quidem similitudines exhibent, sed congruentia dictionis nequiquam quaeritur.

Quae cum ita sint, Tatium a Nonno pendere negandum esse duco.

---

Restat ut variis auctoribus cum Achille affatim comparatis verba faciam de aetate Tatii hactenus a me enucleata. Tatium ante Aristaenetum scripsisse iam dudum notum erat, eundem Musaeo et Synesio priorem putandum esse egomet demonstravi, eum Gregorio, Himerio, Themistio priorem fabulam composuisse verisimile esse ostendi, Tatium a Nonno pendere negandum esse docui. Illas igitur quaestiones omnes ad idem tendere neque quicquam esse quo impugnentur clare videmus:

adducimur ut Achillem ante medium quartum saeculum scripsisse putemus.

Sed alia quoque res huic sententiae haud mediocriter favet.

## II.

## De lege Meyeriana ab Achille Tatio nondum observata.

Postquam Achillem ante medium quartum saeculum scripsisse demonstravisse mihi videor, nova quaestio oboritur, num ei nota fuerit ea lex, qua scriptores saeculi quarti usque ad decimum sextum in clausulis formandis usi sunt. Solutae orationis scriptores horum temporum, ut Guilelmus Meyer[1]) ostendit, et in periodorum clausulis et in quarundam partium fine verba adhibere solent eius modi, ut inter duas syllabas acutas duae vel plures syllabae accentu carentes interiectae sint. Apud Synesium hanc legem iam perfectam et plane adhibitam invenimus[2]). Itaque hanc scribendi normam iam ante huius aetatem provenisse credendum est. Optime vero accidit, quod apud Themistium hanc legem in prima oratione iam crebro observatam in sequentibus magis magisque percrebrescentem cernimus. Primae enim orationis, quae est habita anno 348[3]), in undeviginti paginis editionis Dindorfianae Meyer[4]) 17 tantum exceptiones certas et 8 minus certas invenit, hos autem locos a regula discedentes paulatim rarius inveniri animadvertit. Quare illam de hoc numero oratorio iis locis adhibito, quibus sensus intervallum flagitat, regulam Themistio adulescente iam satis usitatam ac deinde usque gliscentem tamquam legem certam auctoribus soluta oratione scribentibus constitutam fuisse credendum est. Ac potissimum scriptores illorum temporum in deliciis habent in clausulis collocare verba, quibus est accentus ×́××××́××. Itaque non mirandum est praecipue his clausulis libros auctorum scatere, qui usus maxime conspicuus est apud

---

[1]) Gesammelte Abhandlungen zur mittellateinischen Rythmik, Berlin 1905, II p. 202 sqq.: „Der akzentuierte Satzschluss in der griechischen Prosa vom 4. bis 16. Jahrhundert".

[2]) Cf. Meyer l. c. p. 214.

[3]) Cf. C. Gladis, De Themistii . . . orationibus, p. 5.

[4]) l. c. p. 215.

posteriores. Ut exemplum afferam, in libro VI 1—9 fabulae Eustathii, quem saeculo XI. sive XII. scripsisse verisimile est, in fine periodorum 84 locis legem observatam, 2 tantum neglectam, ante levem interpunctionem 139 locis observatam, 15 omissam inveni. In Tatii libris haec lex nondum observata esse videtur; nam numerus locorum sub hanc legem non cadentium maior est, quam ut huic auctori eam notam fuisse credere possimus. Quodsi quis Tatium legem secutum esse putat, regulam iam tertio saeculo, dico Heliodori aetate vel prius valuisse eandem ob causam contendere debet, qua ineptiorem nemo proferat sententiam. Nam eandem fere invenimus rationem clausularum formandarum apud Heliodorum et apud Achillem. Si comparamus numerum clausularum ×́×××́×× cum numero eorum locorum, qui a lege Meyeriana abhorrent, hunc efficimus conspectum:

| Clausulae | Heliod. II 1—7 | Ach. Tat. I 3—7 + VIII 8—10, 2 | Himer.[1] Or. III | Themist. Or. I 1—11 a | Greg. Naz. Or. I + Ep. LXXIX | Eustath. VI 1—9 |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ×́×××́×× | 16 (28)[2] | 17 (29) | 30 (33) | 19 (48) | 20 (35) | 44 (34) |
| legis neglectae | 13 (26) | **63 (64)** | 18 (38) | 13 (26) | 13 (38) | 2 (15) |

Videmus igitur apud scriptores qui legem sequantur numerum locorum a regula abhorrentium superari numero loco-

---

[1]) Meyer p. 215 Himerium hanc legem non observasse vidit. Format enim ille clausulas aliam regulam sequentes, ut Wilamowitzius Herm. XXXIV 215 animadvertit, qua commentatione Himerium saepissime proparoxytonon in fine clausulae ponere exposuit ac regulam definivit, „dass er am liebsten vor diese (Silben) zwei unbetonte setzt, aber auch eine oder mehr, während ein Zusammenstoss betonter Silben vermieden wird. Ist aber die vorletzte betont, so müssen vor ihr zwei unbetonte stehen. Das ist ein anderes Gesetz als das von Meyer für die spätere Zeit formulierte, aber es ist ihm verwandt . . .“ Exactius hanc rem examinavit Daniel Serruys „Les procédés toniques d'Himérius et les origines du „cursus“ byzantin“ in „Philologie et Linguistique, Mélanges offerts à Louis Havet, Paris 1909, p. 473 sqq.

[2]) Uncis inclusi numerum locorum, qui sunt non ante punctum, sed ante cetera sensus intervalla.

rum clausulam ×́××́×× exhibentium, ad quos accedunt ii loci, qui quamvis aliam clausulam praebeant, tamen sub legem Meyerianam cadunt; nam ×́××́×× quamquam usitatissima, tamen una tantum est ex clausulis legis Meyerianae. Quo pacto numerus locorum qui regulam sequuntur etiam multo maior fit quam eorum qui regulam neglegunt. Hoc autem discrimen non ita magnum est apud Achillem, certe quidem multo minus quam apud eum, qui legem nascentem praebet, i. e. apud Themistium. Hac re perpensa sequitur, ut Achillem ante legem exortam ideoque ante medium saeculum quartum scripsisse credamus, quam aetatem tota disputatione definire volui[1]).

Adiungam tabulam, e qua Achillem sicuti auctores priorum temporum clausulas formasse, scriptores post medium quartum saeculum in syllabis acutis adhibendis quarundam conclusionum numerose cadentium gratia lege certa usos esse intellegatur.

| Clausulae | Lucian. Dial. mer. I—III | Heliod. II 1—7 | Ach. Tat. I | Themist. Or. I 1—11 a | Greg. Naz. Or. I + Ep. LXXIX |
|---|---|---|---|---|---|
| ×́ ⌒2⌒ ×́(×,×) = ×́××́(×,×) | 33,33 (43,37) % | 39,72 (34,78) % | 33,72 (34,42) % | 50,71 (52,69) % | 47,37 (48,72) % |
| ×́ ⌒3⌒ ×́(×,×) = ×́×××́(×,×) | 26,44 (26,51) % | 31,51 (27,33) % | 25,92 (26,12) % | 9,26 (13,62) % | 10,53 (8,72) % |
| ×́ ⌒4⌒ ×́(×,×) = ×́××××́(×,×) | 14,94 (4,82) % | 5,48 (18,01) % | 12,61 (13,29) % | 27,86 (21,50) % | 23,68 (20,51) % |
| ×́ ⌒5⌒ ×́(×,×) = ×́×××××́(×,×) | 1,15 (2,41) % | 5,48 (3,73) % | 2,75 (3,83) % | 2,86 (2,87) % | 1,32 (3,08) % |
| lex neglecta | 24,14 (22,89) % | 17,81 (16,15) % | **25,00 (22,34)** % | 9,26 (9,32) % | 17,10 (18,97) % |

## III.

## De auctoribus qui Achilli Tatio aetate antecesserunt.

Postquam Achillem ante medium quartum saeculum scripsisse vidimus, restat ut quaeramus, qui sit terminus post quem

[1]) [Etiam Wilamowitzius legem a Tatio non observatam esse invenit, id quod e commentatione Bollii (Philol. LXIX p. 174) disco.]

scripserit. Consideremus igitur, quo tempore vixerint quos Tatius imitatus est auctores. Heliodorum tertio saeculo scripsisse constat. Sed in imitationibus Heliodoreis non acquiescendum est; sin autem Achillem etiam e Philostrati maioris imaginibus quaedam hausisse demonstravero, novum habebimus argumentum ad Achillis aetatem post tertium saeculum constituendam.

Achillem ex Heliodori fabula permulta sumpsisse Neimkius[1]) magna cum diligentia ostendit.

Mihi quidem disserendum erit de Philostrati maioris scriptis.

Hos liceat comparare locos Achillis et Philostrati; imprimis imagines Philostrati Achilli exemplo fuisse mirum non est[2]).

### a. De Philostrati maioris imaginibus.

| | |
|---|---|
| 1. Imag. II 5 (de Rhodogyne): *καὶ ξανθὸν μὲν καὶ χρυσοῦ πέρα τὸ ἀτακτοῦν τῆς κόμης ... – τῶν δὲ ὀφρύων ... – ἡ παρειὰ δὲ ... – στόμα δὲ ... – χείλη ἀνθηρὰ καὶ ἴσα, στόμα σύμμετρον ...* | Ach. I 4, 3 (de Leucippa): *κόμη ξανθή, τὸ ξανθὸν οὖλον· ὀφρὺς μέλαινα, τὸ μέλαν ἄκρατον· λευκὴ παρειά ..., τὸ στόμα ῥόδων ἄνθος ἦν, ὅταν ἄρχηται τὸ ῥόδον ἀνοίγειν τῶν φύλλων τὰ χείλη.* |

Habemus eundem ordinem partium, quem Tatius haud scio an sumpserit e Philostrati descriptione; praeterea Tatio alius Philostrati locus ante oculos fuisse videtur, qui illi loco Tatiano praebere potuit idoneum colorum ordinem:

| | |
|---|---|
| Imag. I 28: *φέρουσι δὲ αὐτοὺς ἵπποι παραπλήσιοι οὐδεὶς ἄλλος ἄλλῳ. λευκός τις καὶ ξανθὸς καὶ μέλας καὶ φοῖνιξ ...* | Ach. I 4, 3: *κόμη ξανθή ... ὀφρὺς μέλαινα ... λευκὴ παρειά, τὸ λευκὸν ἐς μέσον ἐφοινίσσετο.* |

Hos potissimum locos Achilli ante oculos obversatos esse asseverare non audeo; pro certo autem affirmari potest Philostratum in coloribus depingendis exemplum Tatii fuisse, si comparantur hi loci:

[1]) Quaest. Heliod. p. 22 sqq.

[2]) Aristaenetum quoque imagines potissimum lectitasse demonstravit Pietzko l. c.

| | |
|---|---|
| Imag. I 7: οὐδ᾽ ἂν μέλανα φαίης τὸν Μέμνονα· τὸ γὰρ ἀκράτως ἐν αὐτῷ μέλαν ὑποφαίνει τι ἄνθους. | Ach. III 9, 2: μέλανες δὲ τὴν χρόαν (scil. οἱ βουκόλοι), οὐ κατὰ τὴν τῶν Ἰνδῶν τὴν ἄκρατον, ἀλλ᾽ οἷος ἂν γένοιτο νόθος Αἰθίοψ. |

Itaque Achilles vocem ἄκρατος habet in deliciis; cf. I 4, 3: ὀφρὺς μέλαινα, τὸ μέλαν ἄκρατον. III 7, 4: αἱ μὲν ὠλέναι τῆς κόρης ἄκρατον ἔχουσαι τὸ λευκόν.

| | |
|---|---|
| 2. Imag. I 15: ἔρχεται παρὰ τὴν Ἀριάδνην ὁ Διόνυσος, μεθύων ἔρωτι φησὶ περὶ τῶν ἀκρατῶς (ἀκράτως Benndorf) ἐρώντων ὁ Τήιος. | Ach. I 6, 1: καὶ ἀκράτῳ θεάματι καὶ μέχρι κόρου προελθὼν ἀπῆλθον μεθύων ἔρωτι. |

Stravoskiadis[1]) non Philostratum, sed Plutarchi symp. I quaest. 5, 1 ἐλέχθη δὲ καὶ ὅτι τῷ μεθύειν τὸ ἐρᾶν ὅμοιόν ἐστι minus apte comparat cum Tatii loco.

| | |
|---|---|
| 3. Imag. II 8: ὁρᾷς δὲ καὶ τὴν ὠλένην, ὡς διὰ λευκῆς τῆς ἐσθῆτος λευκοτέρα ὑποφαίνεται. | Ach. I 1, 10: λευκὸς ὁ χιτών, . . . τὸ δὲ σῶμα διὰ τῆς ἐσθῆτος ὑπεφαίνετο. |
| 4. Imag. II 21 (de Hercule): ἐμβέβληκέ τε ἡνίαν τῷ θυμῷ, μὴ ἐκφέρειν αὐτὸν τοῦ λογισμοῦ. | Ach. VI 18, 3: οὐ γὰρ ἐπιστήσαντες τὸν λογισμὸν τοῖς λόγοις, ἀλλὰ τὴν ψυχὴν εἰς τὸ ἐρώμενον ἔχοντες τῇ γλώττῃ μόνον χωρὶς ἡνιόχου τοῦ λογισμοῦ λαλοῦσιν. |
| 5. Imag. II 17: βότρυες δὲ οἱ μὲν ὀργῶσιν, οἱ δὲ περκάζουσιν, οἱ δ᾽ ὄμφακες . . . | Ach. II 3, 2: οἱ δὲ βότρυες πάντῃ περικρεμάμενοι· ὄμφαξ μὲν αὐτῶν ἕκαστος . . . · . . . κατὰ μικρὸν ὁ βότρυς ὑποπερκάζεται[2]). |
| 6. Imag. I 9, 6: εἰδὼς γὰρ τὸ περὶ τῶν φοινίκων λεγόμενον, ὅτι αὐτῶν ὁ μὲν | Ach. I 17, 3 sqq.: ὁ δὲ λόγος· ἄλλο μὲν ἄλλου φυτὸν ἐρᾶν, τῷ δὲ φοίνικι τὸν ἔρωτα |

[1]) L. c. pag. 32.

[2]) Cf. Hom. Od. η 125 sq.

| | |
|---|---|
| *ἄρσην τις, ἡ δὲ θήλεια, καὶ περὶ τοῦ γάμου σφῶν διακηκοώς, ὅτι ἄγονται τὰς θηλείας περιβάλλοντες αὐτὰς τοῖς κλάδοις ... εἶτα ὁ μὲν ἐρᾷ καὶ ἐπικλίνεται καὶ ὑπερβάλλεται τοῦ ποταμοῦ.* | *μᾶλλον ἐνοχλεῖν· λέγουσι δὲ τὸν μὲν ἄρρενα τῶν φοινίκων, τὸν δὲ θῆλυν. ὁ ἄρρην οὖν τοῦ θήλεος ἐρᾷ ... κλίνεται γὰρ εἰς τὸ ἐρώμενον ... καὶ τοῦτό ἐστιν γάμος φυτῶν.* |
| 7. Imag. I 29: *ὁ Περσεὺς ... ἐμβλέπων τῇ κόρῃ.* | Ach. I 19, 1: *ἐνέβλεπον τῇ κόρῃ.* |

b. De Philostrati vita Apollonii.

| | |
|---|---|
| 1. Vit. Apoll. II 11: *τὸν ἐπὶ τοῦ ἐλέφαντος ἱππέα.* | Ach. IV 4, 6: *ἐπικάθηται γάρ τις αὐτῷ* (scil. *τῷ ἐλέφαντι*) *ἀνὴρ Αἰθίοψ, καινὸς ἱππεὺς ὤν.* |
| II 11: *προσιόντα δὲ τῇ προνομαίᾳ αἰκάλλει καὶ τὴν κεφαλὴν ἐς τὴν φάρυγγα ἐσωθοῦντα ἀνέχεται, καὶ κέχηνεν ἐφ᾽ ὅσον τῷ ἀνθρώπῳ δοκεῖ.* | IV 4, 7: *ἀνὴρ Ἕλλην ἐνέθηκε τὴν κεφαλὴν κατὰ μέσην τοῦ θηρίου τὴν κεφαλήν· ὁ δὲ ἐλέφας ἐκεχήνει καὶ περιήσθμαινε τὸν ἄνθρωπον ἐγκείμενον.* IV 4, 8: *τοσοῦτον ἀνέχεται κεχηνώς, ὅσον ὁ ἄνθρωπος βούλεται.* |
| 2. V. Apoll. II 30: *πολλὰ μὲν γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἠθῶν ἑρμηνεύουσι, πολλὰ δ᾽ ἐν ὀφρῦσι καὶ παρειαῖς κεῖται γνωματεύειν τε καὶ θεωρεῖν, ἀφ᾽ ὧν σοφοί τε καὶ φυσικοὶ ἄνδρες ὥσπερ ἐν κατόπτρῳ εἴδωλα τοὺς νοῦς τῶν ἀνθρώπων διαθεῶνται.* | Ach. VI 6, 2: *ὁ γὰρ νοῦς οὔ μοι δοκεῖ λελέχθαι καλῶς ἀόρατος εἶναι τὸ παράπαν· φαίνεται γὰρ ἀκριβῶς ὡς ἐν κατόπτρῳ τῷ προσώπῳ· ἡσθείς τε γὰρ ἐξέλαμψε τοῖς ὀφθαλμοῖς εἰκόνα χαρᾶς καὶ ἀνιαθεὶς συνέστειλε τὸ πρόσωπον εἰς τὴν ὄψιν τῆς συμφορᾶς.* |

c. De Philostrati vitis sophistarum.

| | |
|---|---|
| V. soph. II 27, 3: *ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ ταῶ τοῦ ὄρνι-* | Ach. I 16, 1: *λόγων πρὸς τὸν Σάτυρον ἠρχόμην ἀπὸ τοῦ* |

| | |
|---|---|
| θος ὡς ἀναπτεροῦντος αὐτὸν τοῦ ἐπαίνου. | ὄρνιθος (scil. τοῦ ταῶ) λαβὼν τὴν εὐκαιρίαν .... ἔτυχε γὰρ τύχῃ τινὶ συμβὰν τότε τὸν ὄρνιν ἀναπτερῶσαι τὸ κάλλος. |

Etiam plura investigari posse concedo; satis autem habeo hos quidem protulisse locos qui Achillem e Philostrati scriptis quaedam sumpsisse plane comprobant.

Secundum Muenscheri[1]) quaestiones Philostratus imaginum auctor maior anno 191 natus et anno 263/4 munere archontis functus est. Inter quattuor Philostratos tertium imaginum, de quibus egimus, secundum autem vitae Apollonii et vitarum sophistarum auctorem esse Muenscher censet. Philostratus II. intra annos 170 et 248 vixit. Huic imagines maiores, vitam Apollonii, vitas sophistarum, Heroicum tribuit G. Schmid[2]). Vita Apollonii post 217, vitae sophistarum post 230 scriptae sunt. Sive Muenschero sive Schmidio credimus, scripta illa Philostratea, quae Achillem legisse videmus, ante medium tertium saeculum mediove saeculo composita esse ducendum est. Philostratum minorum imaginum auctorem, quippe quas Achilles non imitatus sit, huius temporibus imagines nondum emisisse atque Achillem intra illorum Philostratorum qui imagines scripserunt tempora vixisse libentissime putarem; at vero respiciendum est — id quod me commonefecit in tempore Riccardus Foerster praeceptor venerandissimus — Philostrati minoris imagines numquam tantam habuisse laudem apud posteriores, ut imitatores imitandas sibi proponerent; quare imagines eius ab Achille non compilatae nihil certi praebent ad Achillis aetatem definiendam.

E Luciani scriptis spuriis unum tantum locum commemoraverim, quem Achillem imitatum esse crediderim.

| | |
|---|---|
| Macrob. 2: ταύτην οὖν αἰσιωτάτην νομίζων τήν γε τῶν σῶν γενεθλίων ἡμέραν. | Ach. V 3, 2: σκηψάμενος γενεθλίων ἄγειν ἡμέραν. |

[1]) „Die Philostrate", Philol. Suppl. X (1907) p. 515 et 557.

[2]) Cum in libro „Der Atticismus" IV 7, tum in commentationis Muenscherianae recensione „Berliner Philol. Wochenschrift" 1909 Nr. 17, p. 517 sqq.

Hoc loco Pseudo-Lucianum, qui e duabus locutionibus notissimis *γενέθλιον ἡμέραν ἄγειν* et *τὰ γενέθλια ἄγειν* coniunctionem inusitatam *τὴν τῶν γενεθλίων ἡμέραν* effecit, Achilles secutus esse videtur.

Quaestionibus a viris doctis[1]) habitis constat hunc Pseudo-Luciani libellum anno 213 conscriptum esse. Etsi unum locum haud magni ponderis esse confitendum est, tamen propter novitatem locutionis eum attuli.

E locis commemoratis, qui Achillem scriptores tertii saeculi imitatum esse comprobant, concludendum est Achillem non ante tertium saeculum scripsisse. Heliodori aetatem Garinus intra annos 215 et 250 posuit; Philostratus iisdem temporibus videtur scripsisse. Ergo Achillem non ante medium tertium saeculum scripsisse statuendum est, immo fieri potuit, ut post medium tertium saeculum fabulam componeret. Videmus igitur post illos auctores a Tatio compilatos et ante auctores Achillem imitatos non ita longum spatium esse ad Achillis aetatem constituendam. His finibus Achillis aetatem iam satis terminatam cernimus.

---

[1]) Cf. O. Hirschfeld, „Die Abfassungszeit der Makrobioi", Herm. XXIV 156 sqq. contra Rothsteinii „Quaestiones Lucianeas" p. 124 sqq. — Kunzmann, Quaestiones de Pseudo-Luciani libelli qui est de longaevis fontibus atque auctoritate, Diss. Lips. 1908 contra Ruehlium Rh. Mus. LXII 421. — Ruehlius (Rh. Mus. LXIV 137) quidem „Longaevos" anno 213 scriptos esse negare pergit.

# Corollarium
# de Achillis Tatii studiis Lucianeis.

Quaestionibus de Achillis Tatii aetate ad finem perductis liceat adiungere nonnulla, e quibus eluceat Achillem Tatium non solum scriptores veteres despoliavisse eorumque flosculis undique decerptis suam dictionem exornavisse[1]), sed etiam e scriptoribus recentioribus neque ita remotis a sua aetate complura sumpsisse. Heliodorum[2]) et Philostratos Achillis aetati proximos esse constat atque eorum aetatem terminum esse, post quem Achilles scripserit, supra vidimus. Equidem in hac appendicula inquiram in ea, quae Achilles debeat Luciano.

## a. De dialogo qui *Ἔρωτες* inscribitur.

| | |
|---|---|
| Amor. 4: *καί μοι γενοῦ δικαστὴς ἴσος.* | Ach. VI 9, 2: *ἓν οὖν σου δέομαι, γενοῦ μοι δικαστὴς ἴσος.* |
| Amor. 4: *σὺ δ' ἐκτὸς ὢν ἀδεκάστῳ κριτῇ τῷ λογισμῷ τὸ βέλτιον αἱρήσῃ.* | Ach. VI 9, 2: *τὸν δὲ λογισμὸν ἐπιστήσας κριτὴν ἀκέραιον ἄκουσον.* |
| Amor. 4: *ἐγὼ μὲν γὰρ ὁ πληγεὶς ἑκατέρῳ καθάπερ ἀκριβὴς τρυτάνη ταῖς ἐπ' ἀμφότερα πλάστιγξιν ἰσορρόπως ταλαντεύομαι.* | Ach. VI 19, 3: *ὅταν οὖν ἄμφω* (scil. *θυμὸς καὶ ἔρως*) *τὸν ἄνθρωπον καταλάβωσι, γίνεται μὲν αὐτοῖς ἡ ψυχὴ τρυτάνη, τὸ δὲ πῦρ ἑκατέρου ταλαντεύεται. μάχονται δὲ ἄμφω περὶ τῆς ῥοπῆς.* |

[1]) Cf. Rohdius, Roman p. 511 sqq. — Fr. Wilhelm, Rh. Mus. LVII 55 sqq.
[2]) Cf. Neimkius, Quaestiones Heliodoreae p. 22 sqq.

Amor. 6: *πάντας ἐπιχωρίους θεοὺς προσκυνήσας καὶ Δία ξένιον.*

Ach. II 30,1: *δέομαι πρὸς θεῶν ξένων καὶ ἐγχωρίων.*

Amor. 14 (de Veneris imagine): *πῶς ἀμφιλαφεῖς αἱ λαγόνες, ἀγκάλισμα χειροπληθές· ὡς δ' εὐπερίγραφοι τῶν γλουτῶν αἱ σάρκες ἐπικυρτοῦνται.*

Ach. II 37, 6: *καὶ διὰ τοῦτο μὲν ἔχει* (scil. *ἡ γυνὴ*) *τὸ σῶμα ἐν τοῖς ἀγκαλίσμασιν, ἐν δὲ ταῖς σαρξὶν ὅλως ἐνηρμοσμένον.*

Sequentes loci ex iis capitibus deprompti sunt, quibus de amore mulierum et puerorum agit Lucianus. De his duobus amoris generibus Achilles II 35—38 exhibet longam disputationem. Rohdius[1]) quibus causis commotus sit ut diceret: „*Eine Diatribe über die Vorzüge der Weiberliebe oder der Knabenliebe II 35—38, in welcher, soviel ich sehe, Lucians Ἔρωτες nicht benutzt sind, wohl aber Xenophons ‚Gastmahl' . . .*“, ego non intellego. Aliter statuemus respicientes Achillem permulta habere communia cum Luciani dialogo et verba et sententias[2]).

Amor. 25: ... *ἡδονὴν ἐπιδείξω παιδικῆς χρήσεως πολὺ τὴν γυναικείαν ἀμείνω.*

Ach. II 35, 3: *οὐ γὰρ πολὺ ἄμεινον . . . τοῦτο* (scil. *ὁ εἰς τοὺς ἄρρενας ἔρως*) *ἐκείνου* (*ἔρως γυναικῶν*);

Videmus igitur ab iisdem fere verbis utrumque incipere disputationem; sed postea in eodem eventu desinere Tatius noluit. Rectissime Stravoskiadis commemoravit Tatium, ne merum se praeberet Luciani imitatorem, hoc quidem loco sententiam apud Lucianum prolatam impugnare.

Amor. 25: *καὶ τό γε πρῶτον ἐγὼ πᾶσαν ἀπόλαυσιν ἡγοῦμαι τερπνοτέραν εἶναι τὴν χρονιωτέραν.*

Ach. II 36, 1: *τὸ μὲν γὰρ εἰς χρῆσιν χρονιώτερον τῷ κόρῳ μαραίνει τὸ τερπνόν.*

De mulierum munditia exquisita deque facie fucis et unguentis mane nondum adhibitis turpissima uterque facit verba:

---

1) Roman, p. 512 adn. 4.

2) Cf. quae dicit Stravoskiadis in praefatione dissertationis. Fr. Wilhelm, Rh. Mus. LVII 55 sqq. Cf. etiam Hirzel, Dialog II p. 281.

Amor. 39: *εἰ γοῦν ἀπὸ τῆς νυκτέρου κοίτης πρὸς ὄρθρον ἂν ἴδοι τις ἀνισταμένας γυναῖκας, αἰσχίω νομίσει θηρίων πρωΐας ὥρας ὀνομασθῆναι δυσκληδονίστων.*

Ach. II 38, 2: *ἂν δὲ τῶν πολλῶν τούτων γυμνώσῃς δόλων* (scil. *γυναῖκα*), *ἔοικε κολοιῷ γεγυμνωμένῳ τῶν τοῦ μύθου πτερῶν.*

Amor. 41: *κἀπειδὰν αὐτῶν ὅλον τὸ σῶμα νόθης εὐμορφίας ἐξαπατῶντι κάλλει διαμαγευθῇ.*

Ach. II 38, 5: *τὰ δὲ φιλήματα σοφίαν μὲν οὐκ ἔχει γυναικείων οὐδὲ μαγγανεύει τοῖς χείλεσιν σινάμωρον ἀπάτην.*

Consulto Achilles pro verbo *διαμαγευθῇ* quo utitur Lucianus vocem idem significantem *μαγγανεύει* adhibuit, quam mutationem non mirabimur, quia Lucianus verbum rarissimum usurpavit, a cuius usu Achilles abhorruisse videtur.

Eadem utuntur imagine, ut oscula puerilia voluptatem non praebentia describant:

Amor. 53: *ἐφήβῳ παιδὶ συνδιημερεύοντα Ταντα λείους δίκας ὑποφέρειν καὶ τοῖς ὄμμασι τοῦ κάλλους μονονουχὶ προσκλύζοντος ἐξὸν ἀρύσασθαι διψῆν ὑπομένειν.*

Ach. II 35, 4: *οὐκ ἀπολαῦσαι δίδωσι τῷ φιλοῦντι, ἀλλ' ἔοικε τῷ τοῦ Ταντάλου πώματι. πολλάκις γὰρ ἐν ᾧ πίνεται πέφευγεν καὶ ἀπῆλθεν ὁ ἐραστὴς οὐχ εὑρὼν πιεῖν. τὸ δὲ ἔτι πινόμενον ἁρπάζεται, πρὶν ὁ πίνων κορεσθῇ.*

Amor. 53: *τυχὼν δ' εὐμαρῶς τούτου τρίτην πεῖραν ἐπάγει φιλήματος, οὐκ εὐθὺς περίεργον, ἀλλ' ἠρέμα χείλη προσεγγίσας χείλεσιν.*

Ach. I 10, 5: *ἐὰν δὲ τὴν πεῖραν προσαγαγὼν τὴν ἄλλην . . ., φίλησον δὲ προσελθὼν ἠρέμα· τὸ γὰρ ἐραστοῦ φίλημα . . .*

Ach. II 37, 7: *ἐγγίζει*[1]) *δὲ τοῖς χείλεσιν ὥσπερ σφραγῖδας τὰ φιλήματα.*

---

[1]) Contra Hercheri coniecturam *ἐνστίζει* lectionem codicum defendo. Cf. Iacobsius ad Ach. II 37: „verbum *ἐγγίζει* vi transitiva gaudet, cuius nunc aliud exemplum non est in promptu“. Contulerim autem Polybium qui VIII 6, 7 *ἐγγίζειν* cum *τὰς ναῦς τῇ γῇ* coniungit.

| | |
|---|---|
| Amor. 53: *αἱ γὰρ φανεραὶ μετὰ τῶν ἐσθήτων περιπλοκαὶ τὴν ἡδονὴν συνάπτουσιν.* | Ach. II 38, 4: ... *φανερῶς περιχυθῆναι, καὶ οὐκ ἔχουσιν αἰσχύνην αἱ περιπλοκαί* (scil. *ἐν παλαίστρᾳ*). |

## b. De deorum dialogis.

| | |
|---|---|
| D. dial. I 2: *μηδέν, ὦ Ζεῦ, κοινωνήσῃς τῇ Νηρηΐδι.*<br>X 2: *οὐδ' ἂν ἐκοινώνησέ ποτε ἐκεῖνος (Κρόνος) θνητῇ γυναικί.* | Ach. II 36,4: *καὶ γὰρ γυναιξὶ κεκοινώνηκεν ὁ Ζεύς* [1]. |
| D. dial. V 2 (Iuno Iovi osculationem Ganymedis exprobrans): *καὶ τὸ φίλημά σοι ἥδιον τοῦ νέκταρος.* | Ach. II 38, 5 (Menelaus quidam oscula puerorum collaudans): *εἰ νέκταρ ἐπήγνυτο καὶ χεῖλος ἐγένετο, τοιαῦτα ἂν ἔσχες τὰ φιλήματα.* |
| D. dial. V 2 (De Iovis oscula Ganymedis bibendi ratione): *ἀπογευσάμενος μόνον ἔδωκας ἐκείνῳ καὶ πιόντος ἀπολαβὼν τὴν κύλικα ὅσον ὑπόλοιπον ἐν αὐτῇ πίνεις, ὅθεν καὶ ὁ παῖς ἔπιε καὶ ἔνθα προσήρμοσε τὰ χείλη, ἵνα καὶ πίνῃς ἅμα καὶ φιλῇς.* | Ach. II 9, 2: *ἐγὼ δὲ ἐπιτηρήσας τὸ μέρος τοῦ ἐκπώματος, ἔνθα τὸ χεῖλος ἡ κόρη πίνουσα προσέθηκεν ἐναρμοσάμενος ἔπινον, ἀποστολιμαῖον τοῦτο τὸ φίλημα ποιῶν, καὶ ἅμα κατεφίλουν τὸ ἔκπωμα.* |
| D. dial. VI 3: *ὁ δ' ἔρως βίαιόν τί ἐστι καὶ οὐκ ἀνθρώπων μόνον ἄρχει, ἀλλὰ καὶ ἡμῶν αὐτῶν* (inquit Iupiter) *ἐνίοτε.* | Ach. II 3, 3: *Ἔρως δὲ καὶ Διόνυσος, δύο βίαιοι θεοί.*<br>Ach. I 2, 1: *οἷον ... ἄρχει βρέφος* (i. e. Eros) *οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ θαλάττης.* |
| D. dial. XII 1: *ἐκείνη μέμηνεν ὑπὸ σοῦ.*<br>XVIII 2: *μεμηνότες ὑπὸ τοῦ ποτοῦ* [2]. | Ach. VII 9, 14: *μαίνεται γὰρ ὑπὸ λύπης.* |

[1]) Cf. etiam Ach. VI 17,3: *οὐ κεκοινώνηκεν ἑτέρῳ* de stupri consuetudine.

[2]) Verbo *μαίνεσθαι* rarius *ὑπὸ* adiungi Iacobsius ad Ach. VII 9 adnotavit.

| | |
|---|---|
| D. dial. XIV 1: *δυστυχῶ ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς.* | Ach. V 26, 12: *αὕτη γὰρ τῶν ἐν ἔρωτι δυστυχούντων ἡ καταφυγή.* |
| D. dial. XVIII 1: *εἰ δὲ παιδιὰ καὶ τρυφὴ πρόσεστιν αὐτοῖς.* | Ach. VIII 17, 9 (De Thersandro cinaedo): *ἦν μὲν οὖν καὶ παρὰ τὸν τῆς ἀσωτίας χρόνον τούτοις χαίρων καὶ χρώμενος, ἀλλ' ὡς ἐν τρυφῇ καὶ παιδιᾷ.* |

### c. De dialogis meretriciis.

| | |
|---|---|
| D. meretr. V 3: *κατεφίλουν με τὸ πρῶτον ὥσπερ οἱ ἄνδρες οὐκ αὐτὸ μόνον προσαρμόζουσαι τὰ χείλη, ἀλλ' ὑπανοίγουσαι τὸ στόμα.* | Ach. II 37, 8: *σὺ δὲ μείζονα ποιεῖς τὴν ἡδονὴν ἀνοίγων τὰ φιλήματα.* |

Breviloquentia Achillis significat *ἀνεῳγμένῳ στόματι φιλῶν*, qua osculandi ratione illae puellae Lesbiae in Luciani dialogo descriptae utuntur. Uterque auctor hac ratione voluptatem Veneriam augeri affirmat.

| | |
|---|---|
| D. meretr. V 3: *κατεφίλουν με ... καὶ περιέβαλλον ...* XI 4: *περιβάλλωμεν δὲ ἀλλήλους καὶ φιλῶμεν.* | Ach. V 15, 4: *περιβαλοῦσα οὖν με κατεφίλει καὶ ἀπῄτει τὸν γάμον.* |
| D. meretr. V 4: *ἡ δὲ ἐφίλει τε καὶ ἐποίει καὶ ἤσθμαινε καὶ ἐδόκει μοι ἐς ὑπερβολὴν ἥδεσθαι.* | Ach. II 37, 9: *πρὸς δὲ τὸ τέρμα τῆς Ἀφροδίτης ἡ γυνὴ γιγνομένη πέφυκεν ἀσθμαίνειν ὑπὸ καυματώδους ἡδονῆς.* |
| D. meretr. X 3: *τὰ γράμματα ... δηλοῦντα ἔπειξίν τινα τοῦ γεγραφότος.* | Ach. VIII 8, 2: *ἡ γὰρ εἰς τὸ μήπω λεχθὲν ἔπειξις τοῦ λόγου.* |

Achilles nonnulla vocabula rarissima Luciano sublegere studuit, in quorum numero etiam vox *ἔπειξις* habenda est.

| | |
|---|---|
| D. meretr. XI 1: *οὐ γὰρ ἂν ἔχων με ἠμέλεις καὶ ἀπωθοῦ περιπλέκεσθαι θέλουσαν.* | Ach. V 23, 5: *ἡ μὲν δὴ Μελίτη ... περιβάλλειν ἐπεχείρει τὸν ἄνδρα, ὁ δὲ τὴν μὲν ὡς εἶχεν ὤθει μάλα ἐρρωμένως.* |

Non hanc solam sententiam Achilles e Luciano cepit, sed totam historiam quae narratur V 23 Luciano debere mihi videtur; is enim in dialogo quinto decimo convivium amantium adventu necopinato rivalis perturbatum tibicinam quandam narrantem effingit:

| | |
|---|---|
| D. meretr. XV 2: *ἤδη δὲ προχωροῦντος τοῦ πότου ... πάντα ἦν ἡδέα· ἐν τοσούτῳ δὲ κτύπος ἠκούετο καὶ βοὴ καὶ ἡ αὔλειος ἠράσσετο, καὶ μετὰ μικρὸν ἐπεισέπαισαν ὅσον ὀκτὼ νεανίσκοι μάλα καρτεροὶ .... καὶ ὁ Γόργος .... ἐπαίετο καὶ ἐπατεῖτο χαμαὶ κείμενος· .... ἐμὲ δὲ ῥαπίσας ὁ Δεινόμαχος ...*<br>XV 1: *κατασπάσας τῶν τριχῶν ἔπαιον περιστάντες.* | Ach. V 23, 2 sqq.: *ἡμεῖς δὲ ἐπὶ τὸν πότον ἦμεν. ἄρτι δὲ κατακλιθέντων ἡμῶν θόρυβος πολὺς κατὰ τὸν ἀνδρῶνα ἀκούεται καὶ συνδρομὴ ... ὁ Θέρσανδρος κατὰ πόδας εἰστρέχει ... ἡ μὲν δὴ Μελίτη ἀνέθορεν ὑπ᾽ ἐκπλήξεως τοῦ παραλόγου ... ὁ δὲ τὴν μὲν ὡς εἶχεν ὠθεῖ μάλα ἐρρωμένως, ἐμὲ δὲ ἰδὼν ἐμπηδᾷ καὶ ῥαπίζει με κατὰ κόρρης ... ἑλκύσας δὲ τῶν τριχῶν ῥάσσει πρὸς τοὔδαφος καὶ προσπίπτων κατακόπτει με πληγαῖς.* |

## d. De dialogis mortuorum.

| | |
|---|---|
| D. mort. X 1: *τὸ σκαφίδιον ... διαρρεῖ τὰ πολλὰ καὶ ἢν τραπῇ ἐπὶ θάτερα, οἰχήσεται περιτραπέν.* | Ach. III 1, 3: *κλίνεται δὲ κοῖλον τοιχίσαν τὸ σκάφος καὶ ἐπὶ θάτερα μετεωρίζεται καὶ πάντῃ πρηνὲς ἦν, καὶ ἐδόκει τοῖς πολλοῖς ἡμῶν περιτραπήσεσθαι.* |
| D. mort. X 1: *γυμνοὺς ἐπιβαίνειν χρὴ ... — τὰ ἔπιπλα, ὥσπερ ἔφην, ἀποβαλών.* | Ach. III 2, 9: *ἦν ἤδη ἡ ναῦς τῶν ἐπίπλων γυμνή.* |
| D. mort. X 1: *παρὰ δὲ τὴν ἀποβάθραν ἑστὼς διαγίνωσκε αὐτοὺς καὶ ἀναλάμβανε γυμνοὺς ἐπιβαίνειν ἀναγκάζων.* | Ach. III 3, 1: *ὁ κυβερνήτης ... τοῖς ναύταις ἐμβαίνειν κελεύσας τῆς ἀποβάθρας ἦρχεν.* |

Videmus igitur Tatium in descriptione naufragii III cap. 1—5 Lucianum in hoc dialogo vocabula ad rem navalem pertinentia exhibentem valde expilavisse. Ac necessarium est scire unde ceperit has quidem res Tatius; nam locum Tatianum III 3, 1 perperam interpretaremur, nisi hanc locutionem e descriptione Lucianea fluxisse apertum esset. Fuerunt qui hunc esse sensum loci Tatiani crederent: gubernatorem primum e navi egressum esse et in cymbam descendisse. Sed hunc sensum falsum esse ex eo apparet quod paulo post legimus a gubernatore funem quo cymba ad navem alligata est attrahi. Ideo eum nondum in cymba esse statuendum est. Verba Tatii *τῆς ἀποβάθρας ἦρχεν* idem fere declarant, quod explicare voluit Lucianus: gubernatoris locus est scala, ubi nunc munere fungitur; in scala qua descendunt nautae praesidium eius est et descendentibus imperat quo modo exeant.

| | |
|---|---|
| D. mort. XIV 5: *εἴ ποτε τρωθείης καὶ βλέποιέν σε φοράδην τοῦ πολέμου ἐκκομιζόμενον, αἵματι ῥεόμενον.* | Ach. V 7, 3: *συνανέβην φοράδην κομισθείς.*<br>V 7, 2: *ἐγὼ μὲν δὴ καταπεσὼν ἐρρεόμην αἵματι.* |

## e. De dialogis marinis.

| | |
|---|---|
| D. mar. XIV 3: *ὁρᾷ τὴν Ἀνδρομέδαν προκειμένην ἐπί τινος πέτρας . . ., καλλίστην, ὦ θεοί, καθειμένην τὰς κόμας, ἡμίγυμνον πολὺ ἔνερθεν τῶν μαστῶν.* | Ach. V 3, 6 (de Philomela stuprata): *ἐσπάρακτο τὰς κόμας ἡ γυνή, τὸ ζῶμα ἐλέλυτο, τὸν χιτῶνα κατέρρηκτο, ἡμίγυμνος τὸ στέρνον ἦν.* |
| D. mar. XV 2: *τῇ λαιᾷ μὲν εἴχετο τοῦ κέρατος.* | Ach. I 1, 10: *τῇ λαιᾷ τοῦ κέρως ἐχομένη.* |

Utriusque verba dicta sunt de Europa tauro insidente. In hac quidem Europae descriptione Achilles I 1 complures exscripsit. Debet enim alia carmini Moschi quod inscribitur *Εὐρώπη*; conferantur Tatii verba I 1, 12: *ὁ δὲ κόλπος τοῦ πέπλου πάντοθεν ἐτέτατο κυρτούμενος· . . . ἡ δὲ ἐπεκάθητο τῷ ταύρῳ δίκην πλεούσης νεώς, ὥσπερ ἱστίῳ τῷ πέπλῳ χρωμένη*, cum Moschi v. 129 sq.:

κολπώθη δ' ἀνέμοισι πέπλος βαθὺς Εὐρωπείας,
ἱστίον οἷά τε νηός.

Locum autem I 1, 10 Achilles nisi e Luciani dialogo marino non sumpsit; eandem enim sententiam Moschus aliter expressit:

v. 126: τῇ μὲν ἔχεν ταύρου δολιχὸν κέρας.

Obiter commemoro Lucianum quoque in illo dialogo Moscho quaedam surripuisse. Verba Luciani αἱ Νηρηΐδες δὲ ἀναδῦσαι παρίππευον ἐπὶ τῶν δελφίνων ... comparari possunt cum Moschi

v. 118 sq.: Νηρεΐδες δ' ἀνέδυσαν ὑπὲξ ἁλός, αἳ δ' ἄρα πᾶσαι
κητείοις νώτοισιν ἐφήμεναι ἐστιχόωντο.

## f. De Timone.

| | |
|---|---|
| Tim. 22: ἀντὶ ποικίλων καὶ παντοδαπῶν ἡδονῶν, ἃς ἤδη ἔξωρος ὢν ὑπηρέτησεν αὐτῷ. | Ach. VIII 9, 5: καὶ τοῦ μὲν ἄλλου σώματος ἔξωρος γενόμενος ἠμέλησε. |

Haec locutio in deliciis Luciani ducenda est; invenitur etiam Alex. 6. Hermot. 78. de merc. cond. 7. de sacrif. 7. adv. indoct. 25.

| | |
|---|---|
| Tim. 27: προσωπεῖόν τι ἐρασμιώτατον περιθέμενος .. καὶ ποικίλα ἐνδὺς ἐντυγχάνω αὐτοῖς. | Ach. VI 16, 6: φέρε πάλιν ἐνδύσομαί μου τὸ δρᾶμα· φέρε πάλιν περίθωμαι τὴν Λάκαιναν. |

Iisdem igitur vocabulis Tatius utitur ac Lucianus in rebus de scaena translatis.

| | |
|---|---|
| Tim. 48: χαῖρε, ὦ δέσποτα, καὶ ὅπως τοὺς μιαροὺς τούτους κόλακας φυλάξῃ. | Ach. VIII 1, 2: ταύτην ὅπως μοι φυλάξῃς. |

Quamvis genus activum φυλάξῃς non eandem habeat notionem ac medium φυλάξῃ, tamen loci propter similitudinem conspicuam notandi sunt.

## g. De variis libris.

| | |
|---|---|
| Nigr. 8: τὰ μὲν ἀτάκτως συνείρων, ἐνίοτε δὲ καὶ αὐτὸν ὑπ' ἀσθενείας τὸν νοῦν διαφθείρων. | Ach. VI 18, 2: διελέγετο ἄλλοτε ἄλλα ῥήματα συνάπτων οὐκ ἔχοντα νοῦν. |

| | |
|---|---|
| Nigr. 13: ὥσπερ οὐ πρὸς αὐτὸν ἐκεῖνον ἀποτείνων. | Ach. VIII 10, 1: ὁ γὰρ Θέρσανδρος ἃ εἶπε πρὸς τὸν ἱερέα μόνον ἀπετείνατο. |

Uterque de pavone hunc in modum verba facit:

| | |
|---|---|
| De domo 11: πάσχει δὲ αὐτὸ μάλιστα ἐπὶ τῶν κύκλων, οὓς ἐπ' ἄκροις ἔχει τοῖς πτεροῖς, ἴριδός τινος ἕκαστον περιθεούσης· ὁ γὰρ τέως χαλκὸς ἦν, τοῦτο ἐγκλίναντος ὀλίγον χρυσὸς ὤφθη, καὶ τὸ ὑπὸ τῷ ἡλίῳ κυαναυγές, εἰ σκιασθείη, χλοαυγές ἐστιν. | Ach. I 16, 3: πεφύτευται γὰρ αὐτῷ καὶ χρυσὸς ἐν τοῖς πτεροῖς, κύκλῳ δὲ τὸ ἁλουργὲς τὸν χρυσὸν περιθεῖ τὸν ἴσον κύκλον, καὶ ἔστιν ὀφθαλμὸς ἐν τῷ πτερῷ. |
| De domo 21: συγγνώμη γάρ, εἴ τι ἀνθρώπινον πεπόνθατε. | Ach. V 27, 2: ἔπαθόν τι ἀνθρώπινον.<br>VI 7, 7: παθὼν μέν τι κατὰ τὸ εἰκὸς ἀνθρώπινον. |
| Fugit. 8: τὸν δὲ .... κατὰ πόδας εὐθὺς εἰπόμην. | Ach. III 3, 1: οἱ δὲ εὐθὺς κατὰ πόδας ἐξήλλοντο. |
| Hermot. 13: ἀλλὰ σχολὴν γὰρ ἄγομεν — τί οὐ διηγῇ μοι ἑταίρῳ ὄντι ...; | Ach. IV 4, 2: λέγοιμ' ἂν ὑμῖν, εἶπε, καὶ γὰρ ἄγομεν σχολήν. |
| Hermot. 81: περικλέκων τὸν λόγον. | Ach. II 6, 3: περιέπλεκον λόγους ἐκ λόγων. |
| De gymnas. 18: ὡς μὴ περιπλέκῃς μηδὲ ἀπομηκύνῃς τοὺς λόγους. | |
| Hermot. 83: νυνὶ γὰρ ὥσπερ ἐκ μέθης ἀνανήφων ὁρῶ οἷα μέν ἐστιν ὧν ἤρων. | Ach. VII 4, 2: μικρὸν δὲ νήψας ἐκ τῆς μέθης τοῦ λόγου.<br>I 13, 1: μεταξὺ δὲ νήψας ἐκ τοῦ κακοῦ διωλύγιον ἐκώκυσε. |
| Herod. 4: ὅπου καὶ τὰ τελευταῖα ταῦτα καὶ Ἀετίωνά φασι τὸν ζωγράφον. | Ach. V 26, 13: ἵνα σου τὰ τελευταῖα ταῦτα δυνηθῶ τυχεῖν. |

De hoc Luciani loco verba faciunt Stark[1]) Brunn[2]) Bluemner[3]); in Luciani sententia *καὶ τί σοι τοὺς παλαιοὺς ἐκείνους λέγω σοφιστὰς καὶ συγγραφέας* (scil. Hippiam Prodicum Anaximenem alios), *ὅπου καὶ τὰ τελευταῖα ταῦτα καὶ Ἀετίωνά φασι τὸν ζωγράφον* . . . verba *τὰ τελευταῖα ταῦτα* non finem chronologicum, sed ultimum gradum enumerationis, quocum Germanice dictum *„zu guter Letzt"* comparari potest, significant. Sommerbrodt[4]) et Bluemner[5]) locum *τὰ τελευταῖα ταῦτα* corruptum putantes coniecturis emendare parum recte voluerunt. Laudari possunt etiam de mort. Peregr. 1: *μυρίας τροπὰς τραπόμενος τὰ τελευταῖα ταῦτα καὶ πῦρ ἐγένετο* et Scyth. 8: *τὰ τελευταῖα καὶ ἐμνήσθη μόνος βαρβάρων Ἀνάχαρσις.* Potuerunt illi viri doctissimi etiam Achillis locum afferre, quamquam sensum ab eo aliquid mutatum esse concedendum est; hausisse autem Achilles videtur e Luciano.

| | |
|---|---|
| Hercul. 3 (de Hercule homines abstrahente, quem pictor effinxerat): *ἑλκομένους αὐτοὺς ἐποίησε, καὶ ἐπέστραπται δὲ εἰς τοὺς ἀγομένους μειδιῶν.* | Ach. I 1, 13 (de Cupidine Iovem in taurum conversum Europa rapta ducente): *Ἔρως εἷλκε τὸν βοῦν . . . . ἐπέστραπτο δὲ ὡς ἐπὶ τὸν Δία καὶ ὑπεμειδία.* |
| Abdic. 16: *πόσα γὰρ οἴεσθε παθεῖν με . . ., νῦν μὲν εἴκοντα τῇ τοῦ πάθους ἀκμῇ,* | Ach. I 3, 3: *προκατηνάλωσε . . . τοῦ πάθους τὴν ἀκμήν.* |
| Gall. 8: *κωλύει γὰρ οὐδὲν αὖθίς σε δειπνεῖν ὥσπερ ὄνειρόν τινα τοῦ δείπνου ἐκείνου ἀναπλάττοντα.* | Ach. I 5, 3: *ἐῴκειν γὰρ τοῖς ἐν ὀνείροις ἐσθίουσιν . . . τοῦτο γάρ μοι ἦν τὸ δεῖπνον.* |
| Muscae enc. 3: *ἀμύνεται . . . . τῇ προβοσκίδι, ἣν κατὰ τὰ αὐτὰ τοῖς ἐλέφασι καὶ* | Ach. IV 4, 4 (de elephante): *μεταξὺ δὲ τῶν ὀδόντων ἀνίσταται αὐτῷ προβοσκίς . . .* |

[1]) Archaeol. Stud. p. 40.

[2]) Geschichte der griech. Künstler II[1], p. 244.

[3]) Archaeologische Studien zu Lucian, Vrat. 1867 p. 44.

[4]) Jahrb. f. class. Philol. 1867 p. 753 sqq.; „Lucianea", Lips. 1872, p. 137 sqq.

[5]) De locis Luciani ad artem spectantibus. Part. prima, Diss. 1866 p. 44 sqq. Sententia autem mutata Bluemner verba *τὰ τελευταῖα ταῦτα* defendit: cf. Archaeol. Stud. l. c. et Jahrb. f. Philol. 1868 p. 484.

| | |
|---|---|
| αὐτὴ ἔχουσα προνομεύει τε καὶ ἐπιλαμβάνεται. | προνομεύει γὰρ αὐτῷ τὰς βοσκάς ... ἐὰν μὲν γὰρ ᾖ ὄψον ἐλέφαντος, ἔλαβέ τε εὐθύς. |
| Demon. 11: ἄν τε φαῦλα ᾖ τὰ μυστήρια, οὐ σιωπήσεται πρὸς τοὺς μηδέπω μεμυημένους .... ἄν τε καλά, πᾶσιν αὐτὰ ἐξαγορεύσειν. | Ach. V 26, 3: οὐκ αἰσχύνομαι τὰ τοῦ Ἔρωτος ἐξαγορεύουσα μυστήρια. πρὸς ἄνδρα λαλῶ μεμυημένον. |
| Calumn. n. t. c. 14: ὁ δὲ ἀκούσας εὐθὺς μύωπι διὰ τοῦ ὠτὸς τυπεὶς διακέκαυται. | Ach. VII 3, 6: ἐγὼ δὲ ὡς ἤκουσα Θερσάνδρου καὶ Μελίτης τοὔνομα ... τῷ δὲ λόγῳ τὴν ψυχὴν ὥσπερ ὑπὸ μύωπος παταχθεὶς ἐγείρω. |
| Philops. 29: ἐγὼ μὲν οὖν ἠρυθρίασα καὶ κάτω ἔνευσα αἰδεσθεὶς τὸν Ἀρίγνωτον. | Ach. VII 14, 3: ἐγὼ μὲν οὖν γνωρίσας αὐτὸν εἰς γῆν ἔνευσα.<br>VI 6, 4: ὡς δὲ ἔνευσεν εἰς τὴν γῆν, λέγει „τί κάτω βλέπεις, γύναι;“ |
| Adv. indoct. 22: ὅτι δὲ μανίαν ἐρρωμένην ἔτι καὶ νῦν μαίνεσθαι δοκεῖς ἅπασιν ... | Ach. VI 13, 1: δοκεῖς μοι, ἔφη, μαίνεσθαι μανίαν ἀνήκεστον. |
| Prom. 4: ἐκπρόθεσμον μέν, ὦ Προμηθεῦ, τὴν ἔφεσιν ἀγωνιῇ. | Ach. VIII 18, 5: ἣν τὴν ἔφεσιν ἀγωνισώμεθα. |

Sequantur exempla, quibus Achillem constructiones quasdam et coniunctiones verborum Luciani potissimum proprias, quas apud alium auctorem rarius vel omnino non inveneris, aut imitatum esse aut immutatas adhibuisse elucet.

Tempus quod consumitur in verbi *διατρίβειν* sive *ἐνδιατρίβειν* usu alii scriptores forma accusativi exprimere solent. Eo magis respiciendi sunt hi loci:

| | |
|---|---|
| Asin. 3: ἔοικα δὲ ἐνταῦθα διατρίψειν τριῶν ἢ πέντε ἡμερῶν. | Ach. III 9, 1: ἐνδιατρίψαντες οὖν ἡμερῶν δύο.<br>III 24, 3: πέντε ... ἄλλων ἡμερῶν διατρίβειν. |

Usus genetivi temporis *τριῶν ἡμερῶν* apud Lucianum non invenitur; quamquam „*Ὄνος*" Luciano abiudicandus est, tamen affero hunc locum, quia Achilli hic placuit usus Pseudo-Lucianeus [1]).

Adverbium *μεταξύ* Lucianus cum genetivo absoluto coniungere amat: Pisc. 38: *μεταξὺ λέγοντος αὐτοῦ.* Contempl. 6: *μεταξὺ λέγοντος.* De merc. cond. 35: *μεταξὺ πινόντων.* Comparandus est Achilles VII 6, 1: *μεταξὺ δέ μου θρηνοῦντος.*

Vocabulo *φλήναφος* nemo prosaicorum ante Lucianum pro substantivo usus est. Achilli VII 11, 8: *οὐ παύεσθε φληνάφων ἀνεχόμενοι κενῶν . . . .;* sine dubio Lucianus obversatus est, apud quem hanc vocem identidem legimus: Somn. 7. Pisc. 25. Dial. meretr. XIV 3. Dem. enc. 35 [2]).

Luciani, utpote cui in rebus amatoriis plurima debeat, sequente quoque loco memor fuisse videtur Achilles VI 3, 1: *μεταπεισθεὶς . . . μὴ ἀπόκοιτος γενέσθαι.* Neque enim semel haec locutio apud Lucianum reperitur; Dial. meretr. X 2: *μηδέποτε ἀπόκοιτός μου γενόμενος.* Abdic. 21: *πότε ἀπόκοιτος ἐγενόμην*; Dial. deor. X 2. Ac respiciendum est apud Lucianum haec verba dici de viro cubile alterius ineunte. Apud Tatium quoque agitur de marito, quamquam de hoc non adulterii causa verba *ἀπόκοιτος γενέσθαι* usurpantur.

Notandum esse mihi videtur Achillem composita quaedam verba rarissima quae in Luciani scriptis inveniantur ipsum quoque adhibuisse. Qui Achillem legerit, eum, ut dictionem rebus novis et insolitis exornaret, in deliciis habuisse verba composita, quae ab usu remota apud alium auctorem legerat, exscribere aut ipsum invenisse animadvertet [3]). Liceat comparare:

---

[1]) Cf. Rohdius, Über Lucians Schrift *Λούκιος ἢ ὄνος,* Lps. 1869, p. 35 adn. 3. — Cf. etiam Ach. V 1, 1. VIII 16, 7. VIII 19, 2.

[2]) Cf. etiam Liban. T. IV p. 140, 13 R.

[3]) Multas enumerare possum verborum inventiones; satis habeo has quidem protulisse: I 1, 9: *περιλευκαίνω.* I 5, 4: *ὑπολιγαίνω.* I 6, 6: *ὑπείλισσον.* I 13, 2: *πολυτάρακτον.* II 9, 2: *ἀποστολιμαῖον.* II 29, 2: *περιυλακτοῦσα.* III 1, 5: *διαταλαντουμένην.* III 2, 2: *ἀντεβόμβει.* III 7, 3: *ἀφοίνικτον.* VIII 17, 1: *ἀσυμβολήσω.* — Obiter dixerim me Herchero saepius adstipulari non posse, qui complura verba a Tatio inventa corrigere et codicum lectiones consentientes mutare studuit.

| | |
|---|---|
| Hermot. 6: ὁ διδάσκαλός σου καθυπέσχετο. | Ach. VI 11, 3: καθυποσχόμενος περὶ τῆς Λευκίππης. |
| Imag. 13: περιβομβεῖν τὰ ὦτα. | Ach. II 7, 3: περιβομβήσασα. |
| Lexiph. 16: περιβομβούμενος. | |
| Asin. 38: ἐγὼ δὲ ὑπεραλγήσας ἐπὶ τῇ ἐμαυτοῦ μεταβολῇ. | Ach. VIII 1, 2: ἐγὼ δὲ πρὸς τὸ „δούλην καὶ γυναῖκα μάχλον“ ὑπεραλγήσας τὴν ψυχήν. |
| Zeux. 3: τὸ ὑπερθαυμάσαι τότε τὴν τέχνην. | Ach. VIII 10, 4: ὑπερτεθαύμακα τί τοσοῦτον ἴσχυσε. |

V. Hist. I 34. Amor. 52.

Tatius igitur, qui sicut ceteri scriptores erotici flosculis undique decerptis elocutionem elegantem efficere studuit, Luciano et Pseudo-Luciano non pauca debet.

# Index locorum comparatorum.

## Pseudo-Luciani.



## Musaei.



## Nonni.

## Philostrati.



## Synesii.



## Themistii.

# Vita.

Natus sum Willy Lehmann in urbe Borussiae Occidentalis quae Graudenz vocatur a. d. III. Kal. Nov. anni 1887 patre Guilelmo, matre Evelina e gente Kuemmel, quos ambos adhuc salvos esse magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Olsnense per IX annos frequentavi. Vere anni 1906 maturitatis testimonium adeptus universitatem Ienensem petivi, ut studiis philologicis me darem. Inde ab autumno anni 1906 in universitate Vratislaviensi studiis philologicis et philosophicis operam navavi.

Hi me docuerunt viri doctissimi

Ienenses: *Cappeller, Delbrueck, Goetz, Hirzel, Reichardt;*

Vratislavienses: *Appel, Baumgartner, Cichorius, Drescher, Foerster, v. Hase, Hoenigswald, Hoffmann, Koch, Kuehnemann, André Pillet, Alfred Pillet, Seger, Siebs, Skutsch, Stern, Wendland, Zacher †, Ziegler.*

Exercitationibus seminarii philologici per tria semestria sodalis intereram moderantibus *Foerstero, Skutschio, Wendlandio.* Ad exercitationes seminarii archaeologici me admisit *Foerster,* ad seminarium philosophicum aditum mihi praebuerunt *Kuehnemann* et *Stern.*

Quibus omnibus, qui de studiis meis bene meruerunt, summas grates ago neque umquam pio gratoque animo eorum memor esse desinam. Imprimis debitas gratias habeo et habebo *Riccardo Foerster,* qui me ut hanc dissertationem scriberem hortatus est et doctrina splendidissima consilioque benigno semper me adiuvit.

# Theses.

1. Ach. Tat. II 11, 7 codicum lectionem *καὶ τότε τὴν εἰκόνα τῆς πορφύρας ἐδιδάσκετο* contra editorum (*ἰχῶρα* Iac., *τὸν οἶκον* Herch.) aliorumque coniecturas defendo.
2. Ach. Tat. IV 2, 2 verba *ὅτι καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ σώματος οὕτως ἔχει* non cum Herchero pro glossa habenda, sed cum Iacobsio in *ὡς καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ σώματος κύτος ἔχει* corrigenda sunt.
3. Theophr. Char. XXIX 4 coniectura Naberi *ἐὰν βούληταί τις εἰς πεῖραν ἐλθεῖν* Immischii lectioni *εἰς πεῖραν λαβεῖν* praeferenda est.
4. Apud Lucretium III 876:

   *non, ut opinor, enim dat quod promittit et unde,*

   *promittit abunde* scribendum esse mihi videtur.
5. Birtii (Jugendverse und Heimatpoesie Vergils, 1910, p. 28) coniectura Catull. XLV 8 et 17: *sinistra et ante* reicienda est.
6. Voci Franco-Gallicae „aveugle" a composito Latino *„alboculus" derivandae significatio verbi Graeci *ἐπάργεμος* favere videtur.

Typis Maretzke & Maertin, Trebniciae Sil.

3 0112 126256038